













*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*

*[Handwritten numbers 5, 6, 7, 8, 9 on the right edge of the page]*





1657.

1. Binius, Mauricus : de legatis
2. Binius, Mauricus : de locatione conductione et  
et de emphyteusi.
3. Eichel, Johannes : de testibus.
4. Eichel, Johannes : de remissionibus puerarum et  
jure aggratiandi.
5. Hahn, Mauricus : de variis potestatibus Romani et  
Germanici imperii.
6. Wernerus, Georgius : de praesentia curatorum  
in concursu, eorumque privilegiis.
7. Werner, Georgius : de solutionibus.
8. Wernerus, Georgius : de scripturae potestate ac usu  
in negotiis civilibus.
- 9<sup>926</sup> Wernerus, Georgius : de dignitatibus 2 Exemp



10. Wernerus, Georgius: De reconvensione  
11. Wernerus, Georgius: De conditionibus  
12. Wernerus, Georgius: De separationibus







10. *Herrn von Geyers: De reconvictionibus*  
11. *Herrn von Geyers: De constitutionibus*  
12. *Herrn von Geyers: De separationibus*



957.

1657, 6 M  
6/

DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
**PRÆFERENTIA**  
**CREDITORUM IN CON-**  
**CURSU, EORUNDEMQUE**  
**PRIVILEGIIS.**

Q V A M,

Divinâ annuente Gratiâ,

P R A E S I D E

**DN. GEORGIO WERNERO, JC<sup>TO</sup>,**  
**CANONICI ET FEUDALIS P. P., DI-**  
**CASTERII GVELFERBYTANI ADSES-**  
**SORE DIGNISSIMO, FACULTATIS**  
**SUÆ p. t. DECANO,**

Domino Præceptore, ac Patrono suo  
ætatèm Venerando,

*Pro virili publicè tuebitur*

**Henrich Eberhard von Anderten!**  
Author & Respondens

Ad diem V. Augusti

IN MAIORI NOVI JULEI AUDITORIO.

~~os) o) so~~

HELMESTADII

Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typogr.  
ANNO MDCCCLVII.

I.







*VENERANDO,*  
*Omniq[ue] filiali cultu & obœdientiâ prosequendo*  
*PARENTI MEO,*  
**DN. Eberhard von Anderten/**

*VT ET*  
*VIRIS Iucundâ ADFINITATE mihi*  
*Conjunctissimis,*

**DN. Johann Bunting /** *Icto eximio,*  
*Advocatoque prudentissimo.*

**DN. Georg Albrecht Bloch /** *Cathedralis*  
*Ecclesiæ ad S. Sebastianum, quæ est Mag-*  
*deburgi, CANONICO, &c.*

*Dissertationem hanc*  
*Sacram volo*

*Paterni Nominis, Dominorumque Af-*  
*finium devotissimus æstimator*

**Henrich Eberhard von Anderten**  
*Author & Respondens.*













CVM DEO  
 DE  
 PRÆFERENTIA CREDITO-  
 RUM IN CONCURSU, EORUN-  
 DEMQUE PRIVILEGIIS.

THESIS I.



VM sæpissimè homines vel dolo, vel quod de facultatibus suis sperent amplius quàm in his est *l. 3. Inst. qui & quib. ex caus. l. in fraudem. 10. ff. cod. tit.* tam grave æs alienum contrahant, ut animam debere videantur; necesse quoque est sæpiùs creditorum concursus fieri; id est, multos creditores circa eadem debitoris bona convenientes, ex iisdem solutionem petere. Concursus autem hosce graves sequuntur controversiæ de PRÆFERENTIA & PRIVILEGIIS CREDITORVM, seu jure illo, quo alter alteri in solutione præponitur. Hic enim quilibet, quantum fieri potest, jus suum exornare, aliorum verò minuere maximè studet, ne postremus sibi adjudicetur locus; propterea, quod is, quem cœteri anteverunt, bonis debitoris inhiant creditorum turbæ non sufficientibus, videatur nudo vestimenta ivisse detractum Vid. Don Francisc. Salgado de Somoza *in labyrinth. creditorum p. 1.*

*l. 1. n. 26.*

A

H. Hæ





## II.

Hæ itaque de prioritare lites cum in judicijs tam sint familiares quam in prandio obsonium, operam bene positurum me existimo, si exercitij gratia hic proponam, quo pacto eæ sopiri rectè ac componi legitimè debeant; quoque ordine velint jura nostra concurrentes creditores locari. Præmittemus autem breviter quid ante ipsam locationem præcipuè sit attendendum, ut judex suo rectius possit fungi officio.

## III.

Ac ne quis fortè vocabuli creditoris ambiguitate erret, sciendum est, in hac nostra *πρωτοκαζια* materia *der Erstgkelt Sach* (cujus sedes est in *tit. ff. & C. Qui pot. in pign. tit. ff. de Reb. auth. jud. poss. à l. 16.* in vulgari editione nova rubrica de Privilegijs creditorum à præcedente ista lege distincta, usque ad finem) creditores usurpari omnes illos qui etiam ab invito exigere quid possunt *arg. l. 108. ff. de V.S.* seu, quibus ex quacunque actione vel persecutione, & in genere ex qualibet causa debetur, *l. 10. l. 11. l. 12. ff. cod.*

## IV.

Vt igitur constet quibusnam verè quid debeatur, & ne quis, cujus petitio aut nulla aut invalida est, in numerum creditorum possit irrepere, omnes qui hisce adscribi volunt, credita sua dicto à judice die edere, ac plerumque per instrumenta seu documenta probare tenentur, Excellentiss. Dn. Hahn in *Observat. theor. pract. de privil. creditor. n. 4.*

## V.

Instrumentis jam probationis causa exhibitis, debitor ad petitionem creditorum debet citari, & ad productorum instrumentorum vel recognitionem vel juratam diffessionem præcisè cogi potest. *Carpzov. lib. 3. Resp. jur. Elect. tit. 8. Resp. 82. n. 1.* Cujus rei hic est effectus, quod reus factà recognitionem



cognitione, quando nullas habet exceptiones, dictum factum, ad solutionem condemnetur; post diffessionem verò juratam illicò absolvatur, nec creditor ad ulteriores probationes admittatur. Omnis enim tum disceptatio videtur sublata *l. 2. l. 5. §. 2. ff. de jurejur.* Christoph. Philipp Richter *de jure & privileg. credit. c. 1. n. 14. 36. 37. edit. noviss.*

#### VI.

Non autem ut debitor ad diffitendum potest compelli, ita & creditor omninò tenetur instrumenta sua diffessionem juratam committere. Si enim reus de perjurio sit suspectus creditum per testes etiam rectè probatur. Richter *d. c. 1. n. 76.*

#### VII.

Posuimus hætenus, creditores unà cum debitore ad citationem judicis comparuisse. Cum autem utrinque interdum negligentia vel contumacia intercedat, illis quidem emanentibus, & in producendis instrumentis tergiversantibus, alius, quandoque etiam tertius à judice dicitur dies, quo sub certa pœna, regulariter PRÆCLUSIONIS, adesse jubentur, juraque sua diducere; & qui tunc non comparent, amittunt debitum: Huic verò latitanti aut recognitionem instrumentorum vel ipsorum juratam diffessionem detrectanti, sub comminatione RECOGNITI, aut pœna CONFESSI, iterum imponitur recognitio aut diffessio; qui cum dicto porrò non est audiens, documenta pro recognitis habentur, & vix à solutione liberabitur. Carpz. *jurispr. forens. Rom. Sax. p. 1. Const. 28. defin. 3. & 7.*

#### IIIX.

Defuncto jam tempore concursus debitore, & nullo herede existente, curator bonis dari solet, qui pro defuncto creditoribus respondeat, eorumque instrumenta recognoscat. Carpzov. *d. Const. 28. defin. 8.*



## IX.

Priusquam verò omnium, qui in creditoribus suum profitentur nomen, jura non sunt aperta & in medio posita, regulariter nemini benevolentiam quid potest solvi. Quod enim per gratificationem ita alicui est solutum, id à cæteris potest revocari, l. 24. ff. *Qua in fraud. credit.*

## X.

Ex parte debitorum & hoc venit observandum: quod, licet fidem fallentes à Romanis pariter atque alijs gentibus gravissimis semper & cum crudelitate conjunctis affecti sint poenis, quas latè persequitur Daniel Sauterius in *Mastige sua fallitorum*, tamen usque à C. Julij Cæsaris ævo interesse cœperit, dolone homines aut suam culpam, an verò adversante fortunam & miserabili quodam calu solvendo esse definant. Vt enim illorum malitiam fovere noluit Cæsar, ita cum his misericordiam captus mitius agi, latamque lege Juliã flebili CESSIONIS BONORVM adjutorio, omni vexatione, quæ cæteros debitores manebat, eos liberari voluit l. 1. ff. *de Cess. bon. ibiq.* Henric. Zoësius n. 1. & t. 1. C. *Qui bon. ced. poss. ibiq.* Anthon. Perezius n. 1. & seqq. Add. Joh. Herm. Stamm *de servit. personal. lib. 1. titul. 4. c. 4. n. 3. & seqq.* David. Mevius *in discuss. levam. inop. debitor. c. 1. n. 54.*

## XI.

Quo quidem cessionis beneficio creditoribus omnis facultas in corpus debitoris sæviendi penitus est adempta, (licet nonnullis in locis ob decoctorum seu Bancaruptorum frequentiam publicis hodieque carceribus mancipentur werden in die Schuld-Thürn gelegt Besold. *thes. pract. lit. S. n. 53.*) non tamen in bonis ejus grassari est prohibitum. Matth. Brunus *de cess. bonor. quest. 3.* Cedentibus enim nil ultrà relinquere coguntur quam dolosis, sed omnia bona quæ modò alienari & oppignorari potuerunt distractioni

CCN-



censentur obnoxia, adeò ut nihil nisi ipsam paupertatem  
invitis creditoribus retineant, prætereaque vestem vilissi-  
mam, ne eâ corporis parte quam ipsa honestas obtegi vult,  
nudi cogantur incedere, vid. l. 6. ff. de bon. damn. cui tamen  
vestimento perperam nonnulli lectum cum ornamentis &  
ex rebus mobilibus unam minoris pretij addi debere con-  
tendunt, quemadmodum etiam ex intempestiva miseri-  
cordia illud à Carolo V. concessum esse statuit Mævius in  
*theatr. concurs. creditor. cap. 1. th. 35.*

XII.

Ratio tamen hic est habenda illarum personarum qui-  
bus BENEFICIUM COMPETENTIÆ est datum, ne scil. in eo-  
rum bona ita permittatur executio, ut ipsis alimenta auffer-  
rantur Matt. Coler: *de process. executiv. p. 2. c. 3. n. 117. & seqq.*  
Tantum de ijs quæ ante locationem præcipuè sunt atten-  
denda.

XIII.

Quando ad locationem accedit iudex de *πρωτοπραξία*  
inter se disceptant qui confluxere creditores, Don Francisc.  
Salgado de Somoza *labyrinth. credit. part. 1. c. 3. n. 12.* quod  
tamen quibusdam non est necesse, ijs videlicet qui vel DO-  
MINII vel SEPARATIONIS jure, id quod petunt con-  
sequi valent. Ad illos enim non pertinet, possintne bona  
debitoris tot creditoribus sufficere nec ne? cum suum re-  
petant, adeoque de bonis obæratî solliciti esse non cogan-  
tur. Hi verò, cum non ex iisdem sed ex alijs debitoris bo-  
nis solutionem petant, cum reliquo cœtu, à quo singulari  
beneficio ipsis recedere datum est, de ordine & præferen-  
tia litigare supersedent: cœteroquin separatio frustra in-  
demnitatis remedium vocaretur in l. 2. C. de bon. auct. jud. poss.

XIV.

Separatio hic nihil aliud est quam cum diversa patri-  
monia

A 3

monia



monia ad eandem personam pertinentia à Magistratu sic distinguuntur ut ex singulis patrimoniis æs alienum solvatur. Nobiliss. Hahn. *Obs. theor. pract. 1. de Separat. n. 2.*

XV.

Impetrare separationem possunt omnes creditores hereditarij *l. 1. §. 1. ff. de Separ. l. 2. C. de bon. auct. jud. poss. si vel heres defuncti solvendo non sit, vel fiat suspectus ob inopiam, ut non possit præstare satisfactionem, idque propter summam æquitatem, quia fieri potest, ut defunctus quidem vel ex asse vel in aliquo solis suis creditoribus potuerit satisfacere, commixtis verò & admissis illis in quorum ære est heres, minus sint consecuturi, quòd hic non sit solvendo & numerus creditorum auctus d. l. 1. §. 1.* Ut autem aliàs alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet *l. 74. ff. de R. I.* ita nec is, qui adit hereditatem defuncti, hujus creditorum conditionem suo facto reddere debet deteriore *d. l. 1. §. 2.*

XVI.

E contrario regulariter hoc beneficium denegatur heredi & ejus creditoribus *d. l. 1. §. 2. & §.* Illi, quia spontè se creditoribus defuncti obligasse & cum ijs per aditionem quasi contraxisse videtur *Matt. Wesenb. paratit. ff. de Separat. n. 5.* Hisce, quia heredi licuit adjiciendo sibi per quasi contractum creditores novos pristinorum conditionem reddere deteriore *d. l. 1. §. 2.*

XVII.

Dico regulariter: accidit enim aliquando ut & his succurratur separationis beneficio: ut i. cum heres fiduciaris coactus est hereditatem suspectam adire, fideicommissarius autem ante restitutionem decesserit, nec sit, cui eam restituat: ut enim tum ipsi heredi aditio non nocet, ita etiam hujus creditoribus separatio non denegatur *l. 11. §. 2.*

*ff. ad*



*ff. ad Sc. Trebell. l. 1. §. 6. ff. de separ. 2. quando heres in fraudem creditorum adiit hereditatem, adversus illius calliditatem Prætor hisce succurrit d. l. 1. §. 5. de Separ. 3. patronus succedens liberti, qui per bonorum possessionem onerosam hereditatem acceperat, hoc jure defenditur l. pen. §. 1. ff. de Separ.*

XII X.

Militis filij familias bona quando veneunt, illi qui cum eo jam tum stipendia merente contraxerunt, possunt impetrare, ut castrensia à paganis separentur, & in illis præferantur ijs qui nondum militem sibi obstrinxere *d. l. 1. §. 9. ff. eod.*

XIX.

Necesse autem est ad separationem, ut res adhuc sit integra & bona adhuc existant. *d. l. 1. §. 12. vers. quid ergo de separ. Wesenb. parasit. ff. de separ. n. 4.* Vnde omnis separatio cessat 1. quando heres ea bona fide vendidit *l. 2. ff. eod.* 2. cum creditor animo novandi contraxit cum herede aut ejus fidem est secutus, aut satis ab eo accepit *l. 1. §. 10. 11. 15. ff. eod. l. 2. C. de bon. auib. jud. poss.* 3. si bona defuncti & heredis ita sint confusa ut discerni nequeant *d. l. 1. §. 12.* quod tamen aliter obtinet in rebus fungibilibus.

XX.

Separationis hic est effectus, ut qui eam impetravit, etiamsi nullo privilegio sit munitus, sed nudus tantum chirographarius, tamen præferatur ei, cui heres rem hereditariam pignori dederat. Fingit enim Prætor ac si hoc pignus nunquam intervenisset *d. l. 1. §. 3. nec obst. l. 9. C. Qui pot. in pign.* quia loquitur de unius debitoris creditoribus.

XXI.

Semel quoque impetrato separationis beneficio, creditores defuncti non possunt reverti ad heredis patrimonium, sed ei, quod semel postulaverunt stare debent, verba sunt



sunt *l. s. pr. de separ.* & hoc ne quidem tum, quando dimissis omnibus creditoribus heredis adhuc superest ex solutione, quia spontè à persona heredis recessère *l. i. §. pen. eod.* Obstat autem *d. legi sta lex 3. in f. eod.* quas ut conciliemus distinguendum erit inter æquitatem & rigorem juris,

XXII.

Concedebatur olim separatio à Præatore vel Præsidente non nisi intra quinquennium *l. i. §. 13. pr. & §. 14. de separ. l. 2. C. de bon. auth. jud. poss.* nunc verò à quolibet magistratu ordinario, & ut olim causâ cognitâ, nullâ ad hoc datâ actione, ita hodie per implorationem nobilis officij judicis, etiam secundum statuta vel consuetudines quorundam locorum e. g. Marchiæ Brandenburgensis post quinquennium. Hucusque de separatione, quibus ea, & quam diu competat.

XXIII.

DOMINII Jure res suas quæ apud debitorem vel in ejus bonis inveniuntur domini repetere possunt per reivindicationem *l. 23. pr. ff. de R. V.* quâ actione ut nulla est justior *l. 31. §. 1. ff. de pos. s.* Ita etiam nulla datur potior *l. 24. §. 2. ff. de reb. auth. jud. poss. l. 38. pr. ff. de pecul.* Hoc tamen requiritur ut res illæ inter bona debitoris adhuc existent *d. l. 24. §. 2. l. 8. C. de pos.* nam qui res suas non amplius superstites repetit, ei omnes, qui modo aliquâ hypothecâ gaudent, præferuntur, etiam eo casu quando debitor dolo malo possidere desiit: licet enim nihilominus fundetur hic reivindicatio *l. 27. §. 3. ff. de R. V. l. 150. 157. §. 1. de R. I.* tamen ea tantam vim aut effectum tunc non habet, ut pro rebus suis quæ non amplius apud obæratum inveniuntur, alia debitoris bona, in quibus reliqui creditores jam habent constitutum jus, asserere sibi & auferre, vindicans possit.

XXIV.

Firmissima igitur sit nobis propositio hæc; Quicumque  
rei



rei alicujus apud obæratum adhuc exstantis dominium  
nondum alienarunt, illi ob competentem rei-vindicatio-  
nem omnibus creditoribus, quantumcunque privilegiatis,  
præferuntur. Baldus in l. 30. C. de jur. dot. n. 2. Andr. Rauch-  
bar. p. 1. q. 6. n. 13. Matt. Berlich. p. 2. conclus. 64. n. 1. 2.

XXV.

Assumimus hic ab initio eum, cui RES FURTO AB-  
LATA vel vi EREPTA est: ejusmodi enim rei domini-  
um nec in furem, nec in raptorem, nec in alium quenquam  
transit; quapropter dominus eam rectè vindicat, & tam  
furis, quàm alterius, ad quem res furtiva ullo modo per-  
venit, creditoribus præfertur, Johann Michaël Beuter. de  
Prælatione p. 1. cap. 44.

XXVI.

Offert sese hic quoque DEPONENS. Nam qui de-  
posuit rem aliquam, eum protinùs istius dominium ami-  
sisse dicere absurdum est l. 17. §. 1. ff. Depos. cum eam so-  
lùm alterius fidei commendarit l. 1. pr. l. 24. ff. eod. Ergò  
deponenti, ut domino, rei-vindicationem competere nemo  
negabit, & consequenter ipsum in re deposita cuilibet alij  
agenti præferri l. 38. pr. ff. de pecul. Imò nec depositarius  
ob exuberantiam fidei reconventionem, compensationem, aut  
ullâ aliâ exceptione deponentem remorari aut impedire  
valet, sed quod accepit reddere illicò omnibus modis com-  
pellitur §. 30. Inst. de act. l. 11. junct. aurb. seq. C. de pos. Nov. 88.  
cap. 1. Donell. in d. l. 11. n. 9. Dissentit Arnold. Vinnius lib. 2.  
selectar. quest. cap. 51.

XXVII.

Quod si verò depositum à seipso defecerit, ut eò do-  
minium transferatur in depositarium, aut pactum de usuris  
sibi adjici fuerit passum, cessant quæ diximus. Abhor-  
rent enim hæc ab ejus naturæ comprobatione, & potius

B

tunc



tunc in mutuum transiisse videtur, cum notissimos depofiti terminos egrediatur; unde etiam, uti tunc depositum dicitur irregulare, ita à depofiti privilegij rectè receditur Gothofr. in not. ad l. 24. §. 2. de reb. auct. jnd. poff. l. 7. §. 2. l. Lucius 24. ff. depof. Dan. Möller ad Const. Elect. 28. p. 1. n. 74.

XXIIX.

Sic, quando quis ex focijs mole debiti extra societatem conflati prægravatus bonis cefferit, focij ejus, utpote singularibus obæratî creditoribus, non obftricti, res suas in diftrahenda focietatis nomine exftantes jure dominij præripiunt l. 82. ff. pro focio.

XXIX.

Idem dicendum de illis, qui rem fuam alteri ad certum ufum concessere; ita RES PIGNORI DATA in bonis debitoris permanere l. pignus 9. de pign. act. & fola poffeffio transferri ad creditorem dicitur l. 35. §. 1. ff. eod. quidni ergò folutione liberata ab eo qui expofuit rectè vindicetur. Nec minorem effectum tribuimus Oblationi, Obfignationi, ac Depofitioni judiciali legitime factæ, cum eundem cum folutione effectum operetur l. 10. l. fin. C. de pign. act. l. ult. C. deluit. pign. l. 9. & 19. C. de ufur.

XXX.

Non magis qui COMMODAT, aut PRECARIO concedit, rem facit accipientis l. 1. §. 3. de precar. quod & de MANDANTE qui rem fuam alteri dedit vendendam fortè, vel ut aliud quidcum ea ageret; aut qui dedit alicui pecuniam ad merces emendas, pensiones folvendas &c. rectè affirmat Beuther. d. tr. de prælat. p. 1. c. 43.

XXXI.

COHERES etiam familiæ herciscundæ judicio, aut quis alius, communi dividundo expertus, portionem fibi adjudicatam vindicare non prohibetur; quia horum judiciorum



orum finis est, ut singuli suæ partis fiant domini §. 4. & s.  
*Inst. de off. judic.*

XXXII.

Ita LIBERI IN PECULIO CASTRENSI & qf. CASTRENSI, tanquam domini, cæteris creditoribus præferuntur, quod in adventitiis rebus æquè obtinet. Licet enim harum ususfructus ad patrem pertineat; tamen dominium apud liberos semper permansit, §. 1. *Inst. per quas person. cuique acq.*

XXXIII.

Sed & MULIER soluto matrimonio, quoad bona illata & in hereditate mariti adhuc existentia, plus pollet omnibus mariti creditoribus, siue bona ista sint paraphernalia, siue sint dotalia, & hæc siue sint æstimatò data, siue non. Jus enim uxoris stante matrimonio quasi sopitum, jure mariti unà cum matrimonio exspirante, reviviscere videtur, l. 30. C. de jur. dot. l. 1. C. de priv. fisc. l. 1. C. ad l. Jul. de vi publ. l. 2. C. ne ux. pro marit. 2. 1. ff. & C. sol. matr. qm. dos. pet. Nec obst. l. 9. C. de R. V. l. 11. C. de jur. dot. aut alij textus qui reivindicationem mulieri denegant; intelligendi enim sunt de eo casu quando matrimonium adhuc durat.

XXXIV.

Item si FILIUS FAMILIÆ pecuniam, contra Sctum Maced. mutuò acceptam, ex bonis parentis solverit, pecunia ista, modo apud eum, cui est soluta, adhuc exstet, à parente potest vindicari, per l. si filiusfam. 14. ff. de reb. cred. quoniam solutione ista dominium pecuniæ in accipientem non est translatum.

XXXV.

Nec illa res, quas tutor vel curator sumtibus PUPILLI vel MINORIS, vel alius pecuniâ militis, aut maritus nummis suæ Uxoribus sibi comparavit, à vindicatione pupillorum, militis, & uxoris censentur liberæ l. 2. ff. qn. ex fact.



*tut. vel curat. l. si ut proponis §. C. de R. V. in eamque Cyn. Bart.  
Castrenf. & Sichard. l. uxor. marito ff. de donat. inter vir. &  
uxor. licet regulariter res ejus fiat, cujus nomine est emta,  
l. 6. C. de R. V. l. 1. l. 8. C. si quis alteri vel sibi. Nec obst. l. 7. pr. ff.  
qui por. in pign. l. 3. ff. de reb. cor. qui sub tutel. l. pen. C. de serv.  
pign. dar. ex quibus colligunt Ant. Faber. s. conject. 9. & Treuth.  
vol. 2. d. 24. th. f. l. d. rem ex pecunia pupilli comparatam  
non effici pupilli, quod res domino suo pignori non pos-  
sit esse obligata per l. 45. ff. de R. I. non enim uno modo hic  
responderi potest, ut constat ex Bachov. ad Treuth. v. 1. d. 15.  
th. 6. l. d. p. 602. & vol. 2. d. 24. th. f. l. d. p. 619. & ex ejusdem  
tract. de pign. & hyp. lib. 1. c. 12. n. 4. & lib. 2. cap. 14. ubi pluri-  
mas d. l. 45. de R. I. addit exceptiones.*

#### XXXVI.

Ob eandem rationem hoc ad REMP. & ECCLESIAM ex-  
tendere non dubitamus, quoties scil. ipsarum pecuniã quid  
est emtum. Vtraque enim gaudet jure minorum l. 4. C.  
quib. ex caus. major. c. auditis 3. de in integr. restit. & respubli-  
ca ut pupilla extra ordinem juvari solet, l. 3. C. de jur. reip.  
Bartol. in l. 8. C. de R. V.

#### XXXVII.

VENDITOR etiam rei venditæ, quando sibi expres-  
sam in ea reservavit hypothecam usque donec facta sit so-  
lutio, aut quoties fidem de pretio non habuit, aut ipsi em-  
tor datis fidejussoribus aut pignore non satisfecit, domi-  
nium haud amittit, priusquam pretium est solutum; adeo-  
que rectè eam, quamvis venditam, dominij jure asserit, s.  
vendida 41. Inst. de R. D. l. procuratoris s. §. 18. de trib. act. l. 19.  
ff. de contr. emt. Add. Gail. 2. obs. 15. n. 4. ibique Grevæ. Imò  
etiamsi fidem emtoris de pretio sit secutus, hic tamen frau-  
dulenter rem gesserit, res non desinit esse venditoris, &  
potius



potius dolose ablata quam tradita censetur Gail. d. Obs. 18.  
n. 8. Rauchb. p. 1. qu. 6. n. 9.

XXXIIX.

Quid si venditor rem suam sub lege commissoria aut in diem additione vendiderit, an & tum vindicatio locum invenit? Resp. quod quidem commissoriam legem attinet, vindicationem non procedere; quia emptio ita sub conditione potius resolvitur, quam contrahi videtur l. 1. ff. ad l. Commiss. Quoad in diem additionem distinguimus: aut enim fit illa pure, aut sub conditione; priori casu, cum emptor interim fiat dominus, venditori non competit vindicatio l. 2. l. 4. §. 3. ff. de in diem addit. posteriori vero, cum ante conditionis eventum contractus sit nullus l. 7. pr. ff. de contr. emt. dominus manet venditor, nec rei-vindicatio ipsi deneganda est.

XXXIX.

LOCATOREM hinc adhuc adjicimus, quia locatio non mutat proprietatem l. non solet 39. ff. locat. Est autem quaedam locationis species quæ Italis dicitur SOCIDA, SOCIDA, vel SOCCIDIA (cujus sedes est in l. 8. C. de pact.) cum quis oves vel vaccas ante aestimatas locat, hanc quidem lege, ut quotannis earum conductor certam fructuum, butyri scilicet, & casei quantitatem, vel dictam pecuniæ summam afferat, omne præstet periculum, & in locum de mortuarum novas substituatur. De hac conventionem queritur, num ea locatori non aliter atque simplex locatio vindicationem rerum locatarum concedat? Rationes dubitandi obveniunt hæ: 1. quod is, ad quem periculum alicujus rei spectat, ejus quoque videatur dominus arg. l. pignus 9. C. de pign. act. 2. quod aestimatio transferre soleat dominium. Nos affirmantibus premimus pollicem & ad 1. resp. locatorem in hoc contractu periculum istarum ovium & vaccarum non pro-



pterea in conductorem rejicere voluisse, ut huncce faceret dominum, sed ut oves & vaccas istas semper haberet salvas & quasi immortales; qua ratione usurpari etiam solent ferreae *Eiserne Schaaffe vnd Rûhe* / quod domino nunquam moriantur, dum conductor in infinitum alias surrogare vi contractus teneatur, quas deinde locator non minus ac ipsa, quæ dederat, individua vindicare potest, *l. 22. ff. de legat. 1.* Ad 2. dicimus æstimationem non semper fieri dominij transferendi gratia, sed ut constet quanti res sit, *l. 69. §. 7. ff. de jur. dot.* & ne locator gravetur postea probatione pretij demortuarum aut deperditarum specierum, per factam æstimationem hâc molestia se liberare voluit. Cui verò volupe est, hujus contractus naturam exactiùs nosse, adeat *Magnif. Dn. Taboris tractat. de jure sociæ*: Nobis enim istis nunc immorari integrum non est.

X L.

Cambiorum denique summa utilitas facit ut pecunia in hunc contractum numerata vindicationi sit obnoxia, contractu sc. ab altera parte non impleto. *Matth. Berlichius conclus. 64. n. 14. Beuter. d. rr. p. 1. c. 32.* Hi sunt, qui jure dominij res suas consequi valent: & hætenus de ijs, qui extra concursum de ordine litigare non coguntur.

X L I.

Collocandi jam sunt, qui de prioritare disceptant, eo ordine, quem præscribunt leges nostræ, ne ipsi, quam hæcolunt justitiæ, vis inferatur. Vt autem eò facilius hic ordo animo possit concipi, initiò pingui Minerva omnes in universum creditores separabimus, eosq; in distinctas classes revocabimus. Distinguuntur autem hæ rectiùs secundum diversam debiti quod prætenditur qualitatem: quorum enim debitum non est ejusdem conditionis, hi in una classe non morabuntur, sed pares cum paribus sunt congregan-



gregandi. Vnde necesse erit, tot classes constituere, quot debitorum genera possunt emergere, Ampliff. Dn. Hahn *Obs. theor. pr. de privil. credit. n. 4.*

XLII.

Debitum igitur omne, quod ullo modo prætenditur, cum potissimum sit quintuplex, 1. privilegiatum simpliciter, 2. hypothecarium privilegiatum, 3. simplex hypothecarium, 4. personale privilegiatum, 5. personale simplex, totidem quoque constituendæ erunt classes creditorum, ne in una dispares confundere cogamur. Et quamvis non desint qui quatuor tantum ponant classes, inter quos Mævius in *comm. ad jus Lubec. tit. 1. art. 11. n. 28.* Schepliz. *ad consuetud. Brandenburg. p. 4. t. 2. §. 4. n. 4. & seqq.* Henr. Otto Mylius in *super in tractat. theor. pract. de prælation. credit. faciat octo; nobis tamen quinarius classium numerus, qui etiam constit. Elect. Sax. 28. p. 1. item D. Christoph. Philipp. Richter in tract. de jur. & priv. credit. probatur, magis videtur conveniens.*

XLIII.

Quarum primam quidem occupabunt illi, qui singulari quadam prærogativa præ alijs gaudent, seu inter omnes privilegiati sunt. Secundam verò qui hypothecam habent cum privilegio exigendi. Tertiam classem adsignamus illis, qui nudâ saltim gaudent hypothecâ. Quartam personaliter privilegiatis concedimus. Quintam deniq; personalibus simpliciter, seu chirographarijs in specie ita dictis.

XLIV.

Quemadmodum autem inter recensita debita, quoad solutionem impetrandam, insignis est differentia, ita quoque cum classibus nostris est comparatum; ut scilicet prima omnibus, secunda tertiæ, hæc quartæ & sic deinceps alia alij præferatur.

XLV.



XLV.

Dicat hic aliquis, cum omnes qui in concursum veniunt, uno creditoris nomine gaudeant, nec alter alteri solutionis desiderio sit secundus; æquum quoque esse, ne quis cui in solutione præferatur, sed classium distinctio & *πεπραξία* ut iniustitiæ plena tollatur. Verùm præferentiam & privilegia creditorum non modò nihil inusti secum apportare, sed etiam firmissimo niti æquitatis fundamento, certissimum est. Quippe, cum nullus creditorum esset nescius, quod neminem unquam nuda debitoris persona de credito satis reddiderit securum, ne quidem tum temporis, cum adhuc fidem fallentes crudelissimè distracti creditoribus addicerentur, sed ut ex bonis & facultatibus obæ-rati solutio speranda, ita & jus in illis constitutum majorem nobis afferat securitatē; cum inquam hoc quivis creditorū ab initio non ignoraret, vel certè, ignorare non deberet, perinde habuisse existimatur, sive perdat quod credidit, sive illud recuperet, qui securus de eo esse noluit, nudamque debitoris personam sibi obligavit; adeoque non immeritò eam negligentia fert pœnam, suâ voluntate quasi susceptam, quod ijs qui sibi de hypotheca prospexere, postponatur, hi verò diligentia suæ præmium, prioritatem nempe, rectè accipiunt. Vid. Leonard. Lessius *d. justit. & jur. lib. 2. c. 15. dubit. 4. & seqq.*

XLVI.

Nec horum tamen vigilantia ita fuit remuneranda, ut eorum, pro quibus militat ipsa misericordia, vel publica, eaque summa utilitas, e. gr. famulorum, funerariorum creditorum &c. ratio habeatur posterior, sed quos ipsa respublica ob commune commodum præ cæteris, quiqui illi tandem fuerint, manibus quasi extollit, eos à legibus nostris, quæ publicam salutem quærunt, deprimi, & alijs postponi erat nefas, unde & nos in primam classem eos erigere non dubitamus.

XLVII.



## XLVII.

Porro, quod hypothecarij rursus in diversis classibus sint repositi, facit favor specialis, quibusdam vel ob personam vel ob causam accedens; unde tales prioritatis privilegio præ hypothecarijs simplicibus sunt donati, iisque anteponuntur; & cum idem eveniat in chirographarijs, ob eandem causam nec hi in una classe morabuntur.

## XLIX.

Imò, nec illi, qui ejusdem sunt classis creditores, pari passu ad solutionem sunt admittendi, sed alij alijs ob diversa jura & privilegia præferendi *l. i. ff. de privil. credit. & l. s. ff. & C. qui pot. in pign.* In ultima tamen classe hoc videtur fallere. Quò itaque certiores eâ de re fiamus, ordine omnes perlustrabimus classes, initium facturi à

## CLASSE PRIMA.

## XLIX.

Quam occupant illi, quos summus favor utilitasque publica privilegiatos, inter omnes, esse voluit, quales præter cæteros sunt **QVI PENDENTE CONCVRSV SVM-TVS NECESSARIOS OMNIUM CREDITORVM GRATIA FECERVNT**; quòd non nisi his deductis bonorum calculus subduci debeat *argum. l. s. ff. depos. omnisque actus, qui pro utilitate omnium geritur, communibus etiam expediendus sit sumtibus arg. l. 4. §. 1. ff. fin. reg.*

## L.

Quò refertur, quicquid in conservationem substantiæ debitoris, vel in litem, ad universum creditorum coetun-  
pertinentem, est expensum: omnia, quæ in inventarij confe-  
ctionem, bonorum æstimationem (*Inventar vnd Taxirungs  
Posten*) vel in alias necessarias hereditatis causas sunt perfo-  
luta *l. ult. §. 9. C. de jur. delib.* veluti, quod heres qui beneficio

## C

inven-



inventarij adiit hereditatem, restitutā eādem creditoribus  
impendere fuit coactus, item quod magistro seu curatorī  
bonorum salarij loco est promissum Dan. Moller *ad consti.*  
*Elect. p. 1. const. 28. n. 56.*

LII.

FAMVLI quoque & MINISTRI Jur. Sax. annunciantur simpliciter privilegiatis, respectu suæ mercedis Des  
Liedlohns / Land R. lib. 1. art. 22. §. Von dem Erbe / id quod  
universæ ferè Germaniæ probat consuetudo, ex Beuthero  
lib. 2. d. prelat. credit. cap. 11. verb. Das wird heutiges Tages  
etc. Dn. Mævius *comm. ad jus Lubec. tit. 1. art. 11. n. 19. & seqq.*  
lib. 3. quamvis jure scripto communi eos inter chirogra-  
pharios simplices referendos esse non dubitemus, Lugo  
*disp. 20. sect. 6. n. 129. in fin.* Hartm. Pistor lib. 1. *quast. 8. n. 2.*

LIII.

Divino jure etiam summum esse hujus mercedis fa-  
vorem constat ex sacro codice passim, *Levit. 19. v. 13. Deute-*  
*ron. 24. v. 14. Tob. 4. v. 14. Sirach. 35.* qui textus non solum lo-  
quuntur pro ministris debitoris, verum etiam pro merce-  
narijs vulgò ita dictis Tagelöhner.

LIV.

Saxo autem hoc privilegium ministris concedi noluit,  
nisi tum temporis, quo herus eorum solvendo esse desinit, &  
creditores jam confluunt, adhuc in ædibus domini moren-  
tur, ejusq; victu vivant. Wann sie nicht noch zu der Zeit in ihres  
Herren Behausung vnter dem Gesinde vnd an dessen Brode  
sein / als da sind der Hausknecht / Hausmagd / Kuchscher / Schlies-  
ser etc. Gloss. Germ. *ad d. art. 22. n. 4. §.* Ihr verdienet Lohn  
ibi: Zum andern müssen sie etc: Illud autem perinde habet  
uniusné anni an verò plurium merces residua prætendatur.  
Hartm. Pistor. *quast. 8. n. 4. & ult.*

LIV.



LIV.

Excluduntur ergò hic omnes illi, quorum operâ extra domum solemus uti, ut sunt aurifabri, lanij, scriniarij, lartores, pistores, bibliopegi, cerevisiæ coctores &c. qui pro domesticis Brödeling oder Brodtgesinde non sunt habendi. Berlich. *conclus. 64. n. 73.* Vnde neque Advocati, quorum operâ extra domum quis utitur, mercenariorû appellatione continentur, atque ideò ratione salariorum reliquis creditoribus non præferuntur Hartm. Pistor. *p. 1. quest. 8. num. 20.* Köppen *decis. 28. n. 14.* ut nec illi, qui dominum tantùm exhilarare solebant, uti sunt athletæ, musici, saltatores, mimi, histriones, Spielleuthe / Freudenmacher / kurtzweilige Rätthe. Vid. Johann. Jacob. Speidel. *notab. histor. pol. voc. jur. Liede Lohn.*

LV.

Certam etiam mercedis quantitatem ipsis à domino promissam esse oportet. Stamm. *de servit. personal. lib. 2. c. 8. n. 2. in f.* Qui enim de certa mercede non convenerunt, privilegium exigendi non habent, sed quod heredi fuerit lubitum ex gratia ipsis dare, eò coguntur esse contenti, Gloss. Germ. *ad d. art. 22. d. 9.* ubi hæc verba inveniuntur. Wer vff Gnade dienet der muß die Erben vff Gnade mahnen / à quo non est alienum tritum illud. Wer vff Gnade dienet / dem wird mit Barmhertzigkeit gelohnet; æquitas tamen postulat, ut hisce quando fideliter serviêre, pro arbitrio boni viri in solatium miseræ servitutis quid solvatur; nemo enim gratuitò serviisse præsumitur: unde qui objicit servo quod gratuitò servierit, probare illud tenetur Richter *de jur. & priv. cred. cap. 2. membr. 3.* Less. *d. just. & jur. lib. 2. cap. 24. dubit. 4. n. 24.* Navarrus *in manuali cap. 17. n. 108. & seqq.*

LVI.

Quos verò ministros eximij hujus privilegii participes



pes esse diximus, illi hoc perdunt, quando accepto à domino chirographo mercedis suæ usuras stipulati sunt: tunc enim æquiparantur simplicibus chirographarijs *argum. l. 24. §. 2. ff. de reb. auct. jud. poss. l. 7. §. quoties ff. de pos.* Vbi tamen notandum nomine ejusmodi chirographi non venire nudam stipendii promissi recognitionem *bestallungs Brieffe oder des Lohns bescheinigung*/quæ probationis gratia tantum accipiuntur, Richter *d. l.*

#### LVII.

Auffugientibus ante tempus servitiis ne quidem pro ratâ temporis quo nobis laborarunt merces debetur, (vid. tamen latè in utramque partem Stamm. *d. libr. 2. cap. 11. n. 3. & seqq.* ubi *n. 7.* tutiùs videri ait, ut dominus tantum, quantum suâ interest, famulum intempestivè non discessisse, à mercede deducat, & judici malitiam præmaturi discessus puniendam relinquat *arg. l. 176. pr. ff. de R. I.*) tantum abest, ut tales hujus privilegii fiant compotes. Cöler. *decis. 101. n. 11. 12. 13.* Contra, si dominus ante tempus eos dimittat, integra merces eis debetur. Stamm. *d. l. 2. cap. 10. n. 2.*

#### LIX.

Ministorum autem & famulorum jure etiam utuntur liberi quando pro operis familiaribus certa ipsis merces est promissa à parentibus, *arg. c. charitatem 45. XII. qu. 2. c. cum ex officij 16. extra d. prescript.* Richter *de jur. & pr. cred. cap. 2. membr. 3. num. 22.*

#### LIX.

Tertiam CREDITORES FVNERARII in hac classe sedem obtinent. Cum enim reipublicæ non parùm intersit, ut cadavera hominum terræ reddantur, nec insepulta jaceant *l. 43. ff. de religios. & sumt. fun.* hoc autem absque sum-  
tibus



tibus non possit fieri; rectè jus nostrum tam insigni privilegi-  
legio non verò hypothecâ uti vult Hermann. Meyrer *Tr d.*  
*pignor. lib. 2. Tit. 2. n. 1.* donavit omne creditum funeris cau-  
sa factum *l. 45. ff. eod. l. 4. C. d. her. ped. l. ult. §. 9. C. d. jur. de-*  
*lib.* quò vivi, quos maximè curare decet, ut in mortuorum  
sepulchris consuetudini & famæ tribuatur satis, *Cic. 1. Tusc.*  
*quest. p. m. 333.* ad hoc officij genuseò essent promptiores, nec  
facilè ijs, qui unde efferri possint, non relinquunt, dene-  
garentur justa.

LX.

Pro credito autem funebri non modo habentur quæ  
in ipsum funus sunt erogata, sed etiam quicquid in ultimi  
morbi, ex quo non reconvaluit defunctus, curationem est  
impensum, & in eo medicis, pharmacopolæ, chirurgis da-  
tum *d. l. 4.* ibique *Bald. in f. C. de hered. petit. l. 3. C. de relig.*  
*l. 37. ff. eod. VVes. parat. de priv. cred. n. 5. sub fin.* *Negusant.*  
*d. pignor. 2. membr. part. 5. n. 28.* *Steph. Gratian. tom. 1. disc.*  
*forens. cap. 94. n. 15.* *Thom. Actius d. privil. infirm. p. 2. voc.*  
*creditor num. 1.* Qui verò sumtus in infirmitatem quidem  
defuncti sunt facti, sed ex qua cum valetudine in gratiam  
rediit, hic non subintelliguntur, *d. l. 4. §. 3.* *Heig. p. 2. quest.*  
*26. n. 70.* *Daniel Möller comm. ad const. Elector. 28. part. 1. n. 27.*  
*Carpzov. p. 1. const. 28. def. 45. n. 2. Dissent. Beuterus p. 1. c. 26.*

LXI.

Funebrium impensarum nomine veniunt etiam omnes  
illæ, quæ post animæ discessum, antequam cadaver terræ  
mandaretur, sunt factæ, sive in ipsum corpus, ut unguenta,  
& vestimenta quibus exuviæ involvuntur, sive occasione  
ejusdem, ut pretium loci, ubi factus est tumulus, sarcopha-  
gi, & si fortè cadaver peregrè transvectum, quod pro ve-  
ctura & vectigalium nomine erogatum est, *l. 14. §. 3. & 4. l.*

C 3

37. ff.



37. ff. de religiof. & sumt. l. 7. §. 3. ff. de in rem vers. Joh. Carl. d.  
expens. cap. 8. num. 1.

LXII.

Pepla quoque, fascēs sericas, vestes lugubres, & quic-  
quid illis qui funus efferunt, aut vestem mutare coguntur,  
(ut, ad quos summus moeror defuncti morte pervenit, &  
ministri) dari solet, hisce impensis adnumeramus; ut & il-  
lud, quod mercatores ex tabernis suis funeris causa credi-  
derunt: epulum verò funebre hinc excludimus, cum Nob.  
Hahnio in *Observ. theor. pr. de privil. cred. n. 4.* quòd etiam si-  
ne hòc funus satis benè duci queat. Contrariatur Berlich.  
*part. 1. conclus. 84. n. 9.* & novissimè Richter *de privil. credit.*  
*cap. 2. membr. 4. num. 3.*

LXIII.

Tametsi autem jus Sax. ejusque Interpp. præcisè re-  
quirant, ut in ipsius debitoris exequias, morbumque sit cre-  
ditum, quod hoc prælationis privilegium sibi vindicare ve-  
lit: *Constit. Elector. 28. p. 1.* ad eamque Carpzov. *defin. 44.* ta-  
men jure civili id aliter cautum reperitur: quo, quicumque  
sit funeratus, id est, sive is cuius de bonis agitur, sive quid  
is debuit forsan pro humatione uxoris vel liberorum, quod  
reddere, si adhuc in vivis esset, funeraria actione teneretur,  
privilegio huic locus est l. *Quæsitum 2. ff. de privileg. credit.*  
ibique Zasius *num. 1.*

LXIV.

Citra heredis consensum eod. Sax. jure nihil in funus  
impendat, qui benè sibi cupit; cum nullo modo id possit re-  
petere *Land R. lib. 1. art. 22. ibi. mit seinem Rath Coler p. 1.*  
*decis. 119. n. 2.* Comuni verò jure expedit, ut quis testetur  
quo animo suis sumtibus promoveat funus, num recipien-  
di, num verò donandi animo, studioque pietatis & miseri-  
cordiæ id faciat: priori enim casu privilegium manet sal-  
vum,



vum, posteriori verò amittitur; quia non convenit, quod  
semel datum est, velle repetere *l. si quis. 12. §. Prator. ait. 2. l. 14.*  
*§. 7. & 8 ff. de Relig. & sumt. fun.* Amator Rodriquez *17. d. conc.*  
*& privil. credit. p. 1. art. 3. n. 13.*

### LXV.

Nisi autem quis legitimè probet, quod se funeris ergò  
credidisse clamat, aut verò, si superflui quid, dignitati fa-  
cultatique defuncti non conveniens sit erogatum, frustra  
privilegium funebre imploratur, *l. 4. C. de petit. hered. l. 3. C.*  
*d. relig. l. 14. §. 6. l. 21. ff. eod. l. nec amplius 2. ff. ad L. Falcid.*

### LXVI.

Si vasallus sine herede masculo moriatur, cujus, an  
succeedentis in feudo agnati, an verò cœterorum here-  
dum onus sit eum funerare? quæstionis est. Equidem Lu-  
dov. Molina *d. primogen. lib. 1. cap. 10. n. 33.* nullâ lege, dicit,  
cautum inveniri, quod is, qui alterius nec successor nec he-  
res est, veluti agnatus, ex propriis bonis, ejusdem funeris im-  
pensâ solvere teneatur. Et impensas funebres in exsequias  
defuncti vasalli factas nullo modo pro onere feudi habêdas,  
definit Carpzov. *in Jurispr. for. p. 2. const. 46. def. 36. per tot.* Ve-  
rùm humanior non tantum, sed & æquior contraria Mat-  
thæi *d. Afflict. in cap. un. an filius vel agnat. 2. P. 45.* sententia  
esse videtur, si defunctus ante Martium mensem vasallus  
nulla post se reliquerit bona allodialia, agnatum proximû,  
inque feudo successorem ad expensas funeris illius ex feudi  
fructibus teneri: alias namque injuria ei fieret si in sepul-  
tus relinqueretur *l. quod si nulla 28. ff. d. relig. & sumtib.* quæ  
ratio tam militat in vasallo quam in marito vel uxore: Cur  
enim patiatur novus feudi possessor antiquum jacere inhu-  
matum, genere sibi conjunctum, & de propriâ familiâ?  
Jah. Garfia *d. expens. cap. 16. n. 33.* Anton *d. Padillâ in l. unum ex*  
*familiâ §. si de Falcidia n. 11. d. leg. 2.* Didac, Spino à Caceres *in*  
*Spec.*



*spec. testam. gl. 2. principal. d. elect. sepult. n. 56.* Et hanc quoque sententiam, quod scil. non exstantibus bonis hereditariis, ex feudi fructibus exsequiæ defuncto vasallo sint faciendæ, Dominos Ienenses, sequi, colligi potest ex ijs quæ habet Dn. Richter *d. jur. & privileg. credit. disp. 4. membr. 4. n. 6. circ. fin.*

### LXVII.

Fiscus quoque, ratione onerum publicorum *der Herrschafftsgefälle* in hac casse sedem invenit, & hypothecis præpollet *l. 1. C. si prop. publ. pens.* Johann. Dominicus Gaitus *tr. de credito. c. 4. quest. 11. n. 1830.* in tantum, ut si quid hypothecarijs quibuscunque solutum fuerit, fiscus vi privilegij prælationis hoc revocare possit *l. 18. §. 10. ff. de jur. fisc.* Vid. Sichard. *ad d. l. 1.* ubi *num. 10.* ait, privatam neminem fisco posse anteponi: quia illa res quæ tributum solvere tenetur, antiquiorem creditorem ipso fisco habere non possit; huic enim bona civium jam tum ex eo tempore, quo d. lex ferebatur, adeoque ante mille annos fuisse obligata, nullum autem privatorum tam longi temporis causam posse allegare. Quamvis etiam non desint qui bona subditorum pro exactiõibus publicis tacitè quidem magistratui esse obligata dicant, omnem tamen prælationem huic obligationi denegent, inter quos. Dan. Möller *ad d. Const. 28. n. 28.* Negusan. *tr. de pignor. & hyp. p. 2. membr. 4. n. 125. p. 5. membr. 2. n. 30.* Nicol. Festas *in tract. de collect. p. 4. cap. 2. n. 36.* Marc. Ant. Peregrin. *tract. de jure fisc. lib. 6. tit. de pignor. & hyp. n. 49. & seq.* tamen rectius contrarium probamus cum Berlichio *conclus. 64. n. 105.* Carpzov. *ad d. Constit. 28. def. n. 47.* Köppen *decis. 28. n. 18. per express. text. d. l. 1. l. 4. C. in quib. caus. pign.*

### LXIIIX.

Onera autem publica nuncupamus hodiernas contributiones, tributa vinaria & cerevisiaria *Tranckstewr* & quasvis



vis collectas publicas *Schoß/Schakung*/item quod ex primipilatus administratione restat, *Proviantsgelder/Proviants Korn*/cujus sarcinæ etiam dos mulieris est obnoxia *l. 4 C. in quib. caus. pign. vel hyp. rac. Gaitus d. l.* Pertinent huc quoque sumtus illi, quos in executionibus criminalibus, ex quorundam locorum consuetudine, (de qua vid. Petr. Heig. *part. 2. quest. 23.*) subditi solent solvere magistratui, & nostratibus dicuntur *Henskeroder Heerdgelder*/aliaque servitia rustica, item *Wächtergeld*/discretion-Courtesy oder *Præsent Gelder*. Berlich. *part. 1. conclus. 64. n. 109.* Carpz. *p. 1. Const. 28. defn. 49.* Petr. Heig. *p. 2. q. 23. n. 15.*

LXIX.

Neque sine ratione Justinianus istiusmodi oneribus omnibus modis consulere voluit: *l. 2. C. si propt. publ. pensation.* cum enim nulla communio aut societas sine pecunia, quæ tempore belli & pacis est nervus rerum gerendarum, *l. 1. §. 20. ff. d. questio.* Plutarch. in *Cleomene*, benè possit agere, *Aristot. 7. Polit. 8.* sed quorumvis insultationibus sit exposita; certè etiam respublica, cessantibus collectis publicis, facile ibit pessum. Vid. *Nov. 149. c. 2. §. ac sanè,* neque enim quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi possunt. *Tacit. 4. Histor. cap. 74. & lib. 13. annal. c. 50.* Quæ ratio cum in benè constituta republica, tam in ordinarijs, quam extraordinarijs censibus obtineat, rejicimus distinctionem hanc, quam nonnulli hic adhibere amant, interque eos Dn. Caspar Klock *de contribut. c. 18. n. 56.* Richter *de jur. & priv. cred. c. 2. m. 5. n. 4. & seqq.* Autor. *Anonymus de privil. credit. c. 5. reg. 3. ampl. 4.* utpote in jure prorsus non fundatam *d. l. 1. l. 2. §. propt. publ. pens.* Carpzov. *d. defn. 49.*

LXX.

Non solum autem *Cæsaris fisco dictum privilegium*  
D compe-



competit, sed & Principum, Comitum, Baronum; imò nulli denegatur civitati, sive superiore eē ea recognoscat, sive non: modò, ex consuetudine, aut superioris concessione fiscum vel ararium habeat. Negulant *tr. de pign. p. 2. membr. 4. n. 114.* Herm. Meyrer *tr. de pign. & hyp. lib. 2. tit. 3. n. 1.* Wesenb. *paratitl. ff. in quib. caus. pign. n. 5.* Köppen *decis. 28. n. 21.* Joh. Mich. Beuther, *d. tr. p. 1. c. 12.* Carpzov. *ad d. Const. 28. defn. 47. num. ult.*

### LXXI.

XENODOCHIA etiam, ECCLESIAE, scholæ, omniaque collegia, quæ actio pia constituit, ratione legatorum & pensionum, quas ipsis debitores ex suis bonis, tanquam onera realia, solvere tenentur, *der Almosen / Siechs = Spittahls vnd anderer Gestiffsgelder* / hodiernis moribus simpliciter privilegiatis adscribuntur; idque juri civili non repugnare, probant Interpp. *ex l. 15. l. 23. C. de SS. Eccles.* Beuther, *d. tract. p. 1. cap. 6.* Jacob. Schult. *in addit ad Modest. Pistor. quest. 129. part. 3. n. 11. & seqq.* Verùm hoc illis textibus nequaquam, neque forte ullâ aliâ juris civilis scripti parte, sed præjudiciis potius, & ex comparatione fisci atque Ecclesiæ probatur. Everhard. *in loc. legal. loc. à fisco ad Eccles. vel piam caus. num. 1. & 15.*

### LXXII.

SUPERFICIE oppignoratâ, dominus directus de salario, ob privilegium inter omnes à nullo hypothecario non est securus: *l. 15. ff. Qui pot. in pign.* imò, si dominium sit penes ecclesiam, ipsi eam anteponi fisco, responso facultatis juridicæ hujus loci confirmat Excell. D. Hahn *Observ. ad Wesenb. 1. de privil. credit. n. 4.*

### LXXIII.

HEREDITARIA tandem PECVNIA *Erbgelder* à Sax. in prima collocatur classe: ut si heres totam hereditatem pro indiviso



diviso adhuc detinens bonis cedat, coheres ejus in portio-  
ne sua, quam familiae herciscundae judicio petit, omnibus,  
qui de privilegio simplici gloriari non possunt, praefertur,  
*Constit. Elector. 28. ad eamque Möller. n. 29. idemque lib. 1.  
Semestr. cap. 26. n. 1. Rauchbar. p. 1. q. 6. n. 8. Matth. Wehner.  
Observ. pract. verb. Erbgeld.*

#### LXXIV.

Diutius autem id non procedit, quam pecunia ista pro  
hereditaria adhuc habetur. Si enim coheres usuras sti-  
pulatus sit ab herede, portio ejus naturam crediti induit,  
*arg. l. 7. §. 2. depos. l. 24. §. 2. de reb. auth. jud. Carpzov. ad d.  
Const. 28. defn. 59. aut si partem suam heredi vendidit, ra-  
tione pretij istius pro simpliciter privilegiato non est ha-  
bendus. Matt. Berlich. conclus. 64. n. 116. & seq. Hi sunt quos  
favor summus privilegiatos inter omnes fecit; qui ex supre-  
ma classe reliquos quasi despiciunt. Pergimus ad*

### CLASSEM II.

#### LXXV.

Dimissis primae classis creditoribus, succedunt hypo-  
thecarij, qui jus in bonis obæratum habent constitutum, in  
securitatem crediti, ob ejusque juris in re naturam, & ex-  
cellentiam, chirographarios omnes in conflictu excludunt;  
utpote quorum jus, rem ipsam non afficiens, multò est de-  
bilis.

#### LXXVI.

Constituitur autem pignus vel ab homine, vel à lege,  
vel ab utroque ad constituendum concurrente, quæ spe-  
cies pignus mixtum Dd. dicitur.

#### LXXVII.

Homo pignus constituens, vel magistratus est, vel pri-  
vatus. *l. 2. C. de Prat. pign. Quod magistratus constituit, Prae-  
tor. um solet appellari d. l. 2. r. etæque à Dd. dispescitur in*



*Prætorium in spec. sic dictum, & judiciale. Negul. rr. de pign. p. 3. membr. 3. Diss. Francisc. Balduinus de pign. & hyp. c. 8.*

LXXIIX.

*Prætorium in spec. dicitur quando creditor à magistratu, in bona debitoris latitantis, mittitur ad coercendam ejus contumaciam l. 2. Quib. ex caus. in poss. l. 4. §. 1. damn. inf. Judiciale quod itidem à magistratu latâ sententiâ pro executione rei judicatæ constituitur l. 1. C. si in caus. judic. pign. vel pignora ex victi bonis capiendo, l. 15. §. 2. & 8. ff. de re judic. vel mittendo victorem in possessionem l. 2. & 3. C. qui pot. in pign. l. 3. C. de execut. rei judic. Bachovius lib. 1. de pignor. cap. 3. num. 4.*

LXXIX.

*Arrestum quoque est modus pignus constituendi à magistratu, non quidem jure Romano, sed Saxonum; ita ut arrestans, etiamsi realiter non sit immissus, statim à tempore, quo arrestum impetravit, in re arrestata consequatur hypothecam, Const. Elector. Sax. 28. p. 1. ibique Dan. Möller. n. 77. Matt. Coler. p. 1. decis. 137. n. 8. Richter de jur. & pr. cred. cap. 4. sect. ult. Modestin. Pistor. part. 4. q. 162. n. 3. & ad h. l. Jacob. Schultes. in addit. l. a. Licet autem jus civile hanc pignoris speciem ignoret, tamen eam ad Prætorium referri posse testatur Nob. Hahn. Exerc. 7. de jur. forens. var. gen. 2b. 6. Jacob. Schultes. in d. addit. Vid. Petrus Peck. de jur. sistend. & Dn. Mæv. de jur. arrestor.*

LXXX.

*Privatus constituit hypothecam, vel ultimâ voluntate, testamento sc. l. 12. ff. de alim. & cib. leg. l. 1. C. Comm. de legat. l. 26. de pign. act. vel inter vivos, per conventionem; quæ vel pactum legitimum, vel contractus realis pignoris, leg. 1. de pign. act. l. 17. §. 2. de pact. l. 2. C. de prat. pign. Bachov. rr. de pignor. & Hyp. lib. 1. cap. 3. Hugo Donell. de pign. & hyp. c. 6.*

LXXXI.



## LXXXI.

Quod verò pignus immediatè lex, citra aliquod factum hominis, etiam ignorantibus constituit, illud dicitur *legitimum* seu *tacitum*, sine stillschweigende Verpfändung / vid. Johann. Dominic. Gaitus *ir. de Credito cap. 4. quest. 5. n. 54.* neminique competit, nisi, cui expresse juris textu hoc datum est. Nullius enim Glossæ aut Doctoris tanta est auctoritas ut sine lege possit tacitas fingere hypothecas, Don. Francisc. Salgado de Somoza, *in labyr. credit. p. 1. c. 10. n. 39.* Surdus *decis. 30. n. 9. decis. 271. n. 10.*

## LXXXII.

Modorum, autem, quibus pignus constituitur, diversitas non inducit diversitatem juris inter hypothecarios, sed privilegia, nonnullis pignoribus annexa, faciunt, ut hypothecarij in una classe non sint reponendi. Secernimus itaque eos hoc modo, ut privilegiati ex hac secunda classe præcedant, simplices verò, ex insequenti proxima, sequantur, quemadmodum id fieri oportere supra diximus.

## LXXXIII.

Privilegiatorum hypothecariotum primus est is, qui alicui, *MILITIÆ EMENDÆ CAUSA*, aurum credidit, eâ lege, ut in eâ pro credito habeat pignus: quod, ut eò rectius percipiatur, notandum apprimè erit, vocabulum *militiæ* in jure nostro non modò denotare armatam illam, quæ belli causa suscipitur, *l. 1. C. de jur. & fact. ign. l. 18. ff. de re jud.* verùm etiam togatam; & hic quidem, officium eorum, qui in aliqua schola inter statutos relati sunt, salariique ex publico consequuntur *l. ult. C. locat.* & non minus ac illi, qui gladijs clypeis, & thoracibus utuntur, militant, *l. 14. C. de advoc. divers. judicior.* vid. Conrad. Rittershus. *exposit. metod. Novellar. p. 3. cap. 8. n. 2.* Cujac. *in comm. ad l. 3. §. si quid minori ff. de minorib.*

D 3

## LXXXIV.



## LXXXIV.

Militiarum, seu officiorum istorum, cum quædam non tantum testamento alijs relinqui, *l. 3. §. 7. d. minor. l. Lucius Titius 22. l. mortuo bove 49. §. 1. ff. d. leg. 2. l. 18. §. 2. de alim. legat.* sed & vendi possint, ut militia adjutorum quæstoris. *Nov. 35. Silentiariorum l. 30. §. ult. C. de inoff. test. l. 52. §. 2. de act. emt. l. ult. C. d. pignor.* etiam creditori, cujus pecuniâ mutuò datâ eæ sunt emtæ, rectè ab emtore oppignorantur, *l. 9. §. 1. ff. de pignorib. & hyp.* Rittershus. *d. c. 8. n. 3.* nec obit. *l. 5. C. quæ res pign. obl.* Et tunc creditor, tenore istius pignoris, & annexi privilegij, præfertur etiam doti mulieris, tam in pretio, quod miles, eam rursùs vendens, inde coëgit, quam in casu, seu scholæ placito, quod heredibus ejus dari solet, *Nov. 53. c. 5. Nov. 97. cap. 4.* ubi præscriptus est modus quo oppignoratio ista fieri debeat. Plura de militijs, & earum casu, videri possunt apud Lælium Taurellum, *tract. de militijs ex casu.*

## LXXXV.

Ex verbis *d. Nov. 97. cap. 4.* ibi: *vel pro alijs quibusdam talibus causis:* Dd. extendunt hoc, quod de militia diximus, ad eum, qui ad consequenda equestris ordinis, Doctoratus, aut Magisterij insignia, vel pro impetrandis beneficij Ecclesiastici bullis, mutuò dedit, reservatâ sibi expressâ hypothecâ; quod etiam usus quidem observat, de quo vide Brunner. *d. collar. c. 4. n. 344. & seqq.* sed contra mentem *d. Nov.* quia ejusmodi dignitates nec certo pretio vendi, nec oppignorari possunt: unde etiam Beuth. *d. rr. p. 1. cap. 57.* cit. *Nov.* ad militiam armatam malè referre concludimus. Rectius fortè Gothofredus in *d. Nov. 97. c. 4.* existimat, posse illam hodiè in Gallia extendi ad eum, qui emendi officij regij causa credidit, quem tamen morem extremè detestatur P. Gregor. in *synagm. libr. 47. passim.*

## LXXXVI.



## LXXXVI.

Solus autem is, cujus pecuniâ debitor militat, dignus est existimatus, cui uxor respectu dotis cederet, *auth. Quo jure C. qui pot. in pign. Nov. 97. c. 4.* MULIERES enim, licet olim hoc nomine privilegium saltem personale habuerint, *l. 2. C. de privil. fisc.* tamen postea tacitam hypothecam in bonis mariti, etiam minoris, consecutæ sunt, *l. 29. C. de jur. dot.* quâ cum nondum contentæ essent, sed assiduis aditionibus inquietarent Imperatorem, meliorem adhuc flagitantes conditionem; impetrarunt tandem à fautore suo, ut ratione dotis, omnibus mariti creditoribus, etiam expressam hypothecam anteriorem habentibus, essent potiores. *l. assiduis 12. C. qui pot. in pign. Mynsing. cent. 4. Obs. 13. n. 3. & seqq. in comm. ad instituta S. fuerat l. de act. n. 12. & 13. Herm. Meyrer. tr. de pign. & hyp. lib. 2. tit. 5. n. 6.*

## LXXXVII.

Generalitati *d. legis Assiduis* permulti, ijque non ultimi nominis JCTi, vim quasi inferunt, eamque restringunt ad hypothecarios, anteriores quidem, sed tacitos: quorum tamen opinio rectè habetur explosa, tum, quod generalitas *d. l. assiduis* aliorum textuum *Nov. 97. c. 2. Nov. 109. c. 1.* generalitate confirmetur; tum, quod extra omnem dubitationis aleam positum sit, mulieres non modò de tacitis, verùm etiam de expressis hypothecis apud Justinianum fuisse conquestas; adeò ut verisimile sit, de hisce maximè earum querelas fuisse, utpote, à quibus plus imminabat periculi; & quod omnes, qui tacitâ suâ hypothecâ dotibus nocere non possent, facili negotio de expressis sibi prospicientes novam Constitutionem fuissent elusuri. Si ergò animus fuit Imperatori mulieribus gratificari, earumque querelas tollere, ut certè ipsi fuisse constat ex eo, quod tam anxie ipsarum petitionem omni injustitiæ suspicione liberare quæsi-  
rit.



rit, necesse est dicere, causam dotium d. Constitutione, etiam hypothecis expressis anterioribus, esse præpositam. Alijs adhuc rationibus firmatur nostra sententia, quas videre est apud Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 7. l. b.* unde ab ea nos non deterret, quod Gailius *lib. 2. Obs. 25. n. 10.* se secundum contrariam opinionem intrepidè iudicaturum dicat. Cui etiam multis rationibus adductis adstipulatur Mercurial. Merlin. *d. pign. & hypoth. lib. 3. Tit. 2. q. 66. n. 6. & seqq.* quibus tamen iam tum respondit, & priorem sententiam confirmavit Petr. Barbof. *in l. 1. sol. matrim. part. 6. n. 5. & seqq.* quem sequitur etiam Amator Rodriquez, *d. concurs. creditor. artic. 1. n. 10.* Herm. Meyrer. *d. pignor. lib. 22. Tit. 5. num. 6.*

#### LXXXIIX.

Persequi verò mulier ita dotem nequit, nisi legitime probet, sese revera eam solvisse, maritumque accepisse, Mynsing. *cent. 1. Obs. 61. n. 3.* ad quam tamen probationem non sufficit nuda mariti confessio, *l. 1. C. de dot. caut. non num.* imò, ne quidem juramento confirmata. Coler. *de process. execut. p. 3. c. 1. n. 115.* Chassan. *ad cons. Burgund. rubr. 4. §. 7. verb. Confessio n. 10.* Ipsi enim marito ejusque heredibus confessio ejusmodi nocere quidem potest, non verò creditoribus cæteris: quod conjuges, in illorum fraudem, aliàs facile quid machinarentur. Gail. *2. Observ. 81. n. 2. & seqq.* Johan. Domin. Gaitus *de credito c. 4. quest. 11. n. 1719.* Aliquando sanè confessa dos non minori adversus creditores munita est privilegio, atque legitime ab uxore probata: videlicet, cum post confessionem demùm maritus æs alienum confavit; quia tunc omnis abest fraudis suspicio Berlich. *d. conclus. 65. n. 61.* item: quando etiam reliqui creditores non nisi per confessionem debitoris jus suum probare possunt. Hieron. Magon. *decis. Florent. 68. n. 12.* Dn. Richter *de jur. & priv.*



& *priv. cred. c. 3. sect. 1. n. 31.* An quoque, si tempora oppo-  
nendi exceptionem non numeratae dotis sint elapsa? ita  
sentit Gail. *d. Obs. n. ult.* sed nos cum negantibus faciemus:  
idque cum pace *Nov. 100. c. 1. & 2.* quoniam illi textus, de  
marito, ejusque heredibus loquentes, ad creditores non  
rectè extenduntur. Cynus *in aneb. Sed jam necess. quest. fin.*  
*C. d. donat. ant. nupt. Covarruv. lib. 1. var. resol. c. 7. n. 4.*  
*versic. De creditoribus.*

### LXXXIX.

Attamen dotem, quam numeratam esse constat, in  
bona etiam mariti conversam esse, uxor probare non te-  
netur; utpote, cui maritus, de eâ liberè disponens, rationem  
reddere non solet. Hartman Pistor. *libr. 1. q. 4. n. 16.* Mo-  
destin. Pistor. *p. 1. q. 24.* & pro muliere, quoties res dubia  
est, militat præsumptio, conversam esse, Petrus We-  
senbec. *consil. 4. n. 133.* Richter *d. privil. cred. c. 3. s. 1.*  
*num. 41.*

### XC.

AUGMENTUM quoq; seu ADDITAMENTUM, & IN-  
CREMENTUM DOTIS, die Verbesserung/ejusdè est condi-  
tionis cum ipsa dote, tam ratione tacitæ hypothecæ, quam  
prælationis *l. etiam si. s. C. d. jur. dot. Campeg. d. dote p. 1. q. 77.*  
*n. 1. Nov. 97. c. 3.* Gaius *de credito c. 4. quest. 11. n. 1595.* Nec  
jure Saxonico, hodiernaque consuetudine, minor est fa-  
vor DOTALITII, seu ejus, quod maritus uxori suæ, ra-  
tione dotis illatæ, in bonis suis, tam allodialibus, quam  
feudalibus concedit, ut eò, vidua facta, per dies vitæ uta-  
tur fruatur, *Leibgeding/Leibzucht/Witthumb. Const. Elect.*  
*28. p. 1.* ratio est, quia dotalitium (quod etiam viduitium  
dicitur) in dotem surrogatur, & per id dos absorbetur;  
surrogatum autem sapit naturam ejus, cui surrogatum est.  
*Andr. Rauchbar. p. 1. q. 30. n. 22. Rotschus in tr. d. dotalit. c. 4.*  
E n. 1. seq.



n. 1. seq. dummodo tamen id legitimum modum non excedat; quale non præjudicat successoribus, nedum alicui creditori, Hartm. Pist. p. 1. q. 4. n. 4. & seq. Quia verò donatio propter nuptias, Gegen vermächtnis / dotem non absorbet, sed, ut lucrum, ultra dotem à muliere petitur, cum tanto favore etiam non est conjuncta. Carpzov. ad d. Const. 28. defn. 93. Schneidevvin. ad S. fuerat. Instit. de act. n. 36.

### XCI.

Sponsa de præsentì, quæ dotem numerare prævertit, eodem privilegio, quo uxor, eam potest repetere, arg. l. 30. ff. de R. I. non verò sponsa de futuro, l. 74. ff. de jur. dot. l. 17. §. 1. de reb. auct. jud. neque heredes mulieris ascendentes & collaterales, Nov. 91. pr. quamvis descendentes hoc jus negari non possit. d. l. assiduis 12. C. qui pot.

### XCII.

Perdit autem mulier suum hoc, pro restituenda dote competens, privilegium, quando correa debendi facta est, communemque cum marito exercuit negotiationem, aut cauponariam, wenn die Frau zu offnem Cramladen oder Markt siht / oder mit ihrem Manne Wirthe vnd Gasttschaft helt / l. 1. §. f. de Exercit. act. l. 24. ff. pro soc. & hoc in Germania receptum esse testatur Gail. 2. Observ. 90. n. 5. Hoc enim casu, creditores non tantum cum marito, sed & cum uxore contraxisse videntur; unde æquum non est, ab eâ decipi, cujus fidem juxta ac mariti æquè sunt secuti Beuth. d. 11. part. 1. cap. 35.

### XCIII.

Alij adhuc sunt casus, quibus mulier prælationem suam amittit; ut; si consensit in debita mariti, vel pro eo intercessit: item, si sciens obærato nupsit, aut luxuriosè vixit, ita ut ejus culpâ maritus ad incitas sit redactus; si hæreti-



hæretica sit, vel adultera, *Nov. 109. c. 1. l. 8. §. 4. & 5. C. de re-  
pud.* Atq; plures adhuc recenset Berlichius *d. conclus. 65. &  
Mævius ad Jus Lubec: lib. 3. Tit. 1. art. 9. 11. 53. & seqq.*

#### XCIV.

Quando duæ concurrunt dotes; ita, ut liberi prioris  
matrimonij suæ matris dotem petant, posterior uxor ad-  
versus liberos istos suo privilegio non potest uti; sed quæ  
dos prius est numerata, ea etiam priore loco venit restitu-  
enda *d. l. assiduis 12. §. 1. C. qui pot. Nov. 91. c. 1.*

#### XCIV.

Legalem porrò hypothecam cum privilegio exigen-  
di habet is, qui in DOMUS alicujus ÆDIFICATIONEM,  
REPARATIONEM, & CONSERVATIONEM pecuniam  
mutuò dedit, *leg. 1. ff. in quib. caus. pign. l. 25. ff. de reb. cre-  
dit. aut qui, domino mandante, redemptori operis, qui Græc.  
ἑγόλαβος dicitur, sumtus subministravit d. l. 1. ibiq; Gothofr.  
ratio est, quia reipub. interest ruinosas ædes restaurari,  
ne aspectus civitatis deformetur l. 2. §. 17. l. ult. ff. ne quid in  
loc. pub. l. 20. §. 10. de nov. op. nunc. l. 2. C. de adif. priv. Herm.  
Meyrer. de pign. & hyp. lib. 1. c. 12. n. 1. Petr. Vanderanus  
de praf. cred. cap. 8.*

#### XCVI.

Tenetur tamen hic probare 1. sese nominatim in refecti-  
onem, aut reparationem domus pecuniam credidisse; aliàs,  
quantumvis postea eâ reparatio esset facta, cessat privile-  
gium, *Myns. cent. 1. Obs. 60. 2. pecuniã istam, in alium usum, à  
debitore non esse conversam; quia aliàs cessaret ratio præ-  
lationis paulò antè dicta. Gabr. Mudæus. tr. de pign. tit. quib.  
mod. pignus. vel hyp. solv. n. 95. Præterea Gailius 2. Obs. 12. n. 4.  
hic requirit, ut domus ista adhuc exstet, & Beut. d. tr. p. 1. c. 20.  
sub f. dicit, in area hoc privilegium non competere. Spe-*

E 2

stant



stant autem huc omnes impensæ necessariæ in domum  
factæ *Nothwendige Bawkosten.*

XCVII.

Quò rectè etiam referas, quod inquilinus, vel alius  
militibus, contributiones bellicas exigentibus, pro domi-  
no ædium solvit; ut ædes illæ, quibus aliàs ruinam & deva-  
stationem minabantur milites, conserventur; æquè enim  
talis consulit domui, ac si eam collapsuram fulciret.  
Necesse tamen est, ut constet vel testimonio magistratus,  
vel confessione ejus, ad quem domus pertinet, quod hujus  
gratia contributiones sint erogatæ; cum aliàs nihil facilius  
esset ejusmodi inquilino, quam prætere, sese id, quod  
ratione sui ipsius, aut suæ negotiationis expendere fuit co-  
actus, pro locatore suo expendisse. Excell. Dn. Hahn.  
*Observat. ad Vvesenb. tit. de priv. cred. n. 4.*

XCIX.

PUPILLI insuper, MINORES, FURIOSI, &  
PRODIGI, tacitam habent hypothecam cum jure præ-  
lationis, in tutorum, protutorum, curatorum bonis, pro  
eo, quod ipsis ex administratione debetur; idque ab ipso  
die suscepti officij vel confirmatæ tutelæ, von Zeit der vff-  
getragenen Vormundschaft; non solum jure Cod. l. un. §. 1.  
C. de rei ux. act. l. 20. C. de adm. tut. Sed & Digest. l. 19. §. 1. l. 20.  
l. 21. l. 22. l. 23. de reb. auth. jud. poss. l. ult. qui potior. in pignor.  
Gutierrez. d. tutel. part. 2. cap. 16. per tot.

XCIX.

Hypothecarijs etiam privilegiatis adscribimus præ-  
terea omnes illos creditores, qui aliàs privilegio exigen-  
di inter chirographarios sunt muniti, simulque de ex-  
pressa hypotheca sibi prospexerunt: cum namque & hi  
duplex jus, privilegium à lege, & hypothecam ex conven-  
tione habeant; rationis est, ut æquè ac illi, qui à lege & hy-  
pothecam



pothecam & privilegium sunt consecuti prælatione  
fruantur. *arg. §. 2. I. d. adop.*

C.

In hanc tandem classem etiam reponendi veniunt illi  
creditores, qui, ob modum constitutæ hypothecæ, alijs  
præferuntur: quales sunt illi, qui de publicâ hypothecâ sibi  
prospexerunt *l. scripturas. 11. & auth. si quis. C. qui pot. in pign.*  
atque sic hanc secundam claudentes descendimus ad

### CLASSEM TERTIAM.

CI.

Cujus creditoribus non minùs quidem hypotheca  
vel ab homine vel à lege est constituta; simplex tamen so-  
lùm, nulloque corroborata privilegio. Hujusmodi hy-  
pothecam simplicem habet MULIER in bonis mariti  
RESPECTU PARAPHERNALIUM, ab ipso admi-  
nistratorum *l. fin. §. fin. C. de pact. convent. tam sup. dot. l. 29.*  
*C. de jur. dot. & DONATIONIS PROPTER*  
*NUPTIAS l. 12. §. 2. C. qui pot. Gail. 2. Observ. 92. n. 10. An-*  
*thon. de Fano tr. de pignor. p. 2. m. 4. n. 64. Diss. Bachov. de*  
*pignor. lib. 1. c. 10. n. 3. item, secundum Interpp., ratione ALI-*  
*MENTORVM ipsi à marito præstandorum, vid. Angel.*  
*§. fuerat Inst. de action. n. 11.*

CII.

MARITUS quoque, in BONIS DOTE M PRO-  
MITTENTIS, (sive ipsa uxor promiserit, sive focer, si-  
ve extraneus quidam) legalem habet hypothecam absque  
prælatione pro præstanda dote, *l. unic. §. 1. C. de rei ux. act.*  
*Bald. Novell. d. dot. p. 6. privil. 7. num. 1. in tantum, ut pa-*  
*ter, vel alius, dotem promittens, non possit dicere, nolo,*  
*bona mea obligata pro securitate dotis filix promissæ, pro-*  
*ut ex Iason. Gutierrez. tr. d. juram. confirm. p. 1. c. 46. n. 1.*

E 3

¶ 4.



§ 4. tradit. ut & LIBERI, IN BONIS PARENTUM  
 pro lucris nuptialibus, & rebus maternis, seu paternis *l. 6. §. 2. l. 8. §. ult. C. de sec. nupt. l. 6. §. ult. C. de bon. qua lib. non  
 reliquis adventitijs d. l. 6. §. 2. C. de bon. qua lib. Wesenbec,  
 in paratitl. In quib. caus. pign. n. 4. inf. Bachov. de pign. & hypoth.  
 lib. 1. cap. 9. n. 9. qui tamen in not. ad d. l. VVesenb. videtur  
 à se ipso deficere. Idem jus competit LIBERIS IN BO-  
 NIS VITRICI, eo casu, quando mater tutrix ad secun-  
 cundas nuptias transit, non redditis prius tutelæ ratio-  
 nibus; aut nondum dato liberis tutore: tunc enim, ne  
 quid fraude depereat parvulis, horum rationibus obno-  
 xia sunt bona ejus, qui tutelam gerentis affectavit nuptias.  
*l. 2. C. quando mul. tut. off. l. 6. C. in quib. caus. pignus. Nov. 22:  
 c. 40. Gudelin. d. jur. noviss. libr. 1. cap. 12. Bachov. d. pign.  
 l. 1. cap. 9. n. 15.**

### CIII.

LEGATARIO item, IN OMNIBUS TESTA-  
 TORIS, non verò heredis BONIS, nec in ipsa re sibi  
 aut alijs legata, & FIDEICOMMISSARIO, IN RE  
 RESTITUENDA, hypotheca est concessa; & illi qui-  
 dem primùm à Justiniano *l. 1. C. comm. de legat. non obst.  
 l. 4. §. 1. ff. de separ. neque §. 2. Inst. de legat. Inutilis tamen  
 legatario est illa hypotheca, antequam creditores defun-  
 cti non sint dimissi l. 4. §. 1. l. 6. pr. de separ. l. 22. §. 4. & seq.  
 C. de jur. delib. §. ult. Inst. ad l. Falcid. l. 8. §. 9. de inoff. test.  
 Mercurial. Merlin. d. pignor. & hypoth. lib. 3. Tit. 1. q. 14. n. 1.  
 § 12. Citatam autem *l. 1. C. Comm. de leg. rectè Bachov. ex-  
 tendit ad DONAT: MORTIS CAUSA* ob *l. ult. C.  
 de donat. mort. caus. junct. pr. Inst. de donat. ubi ferè per omnia  
 hæ exæquantur legatis. Merlin. d. loc. n. 127. Card. Mantic.  
 d. tac. & ambig. conv. lib. 11. Tit. 12. n. 15. § 16.**

CIV. FIS-



CIV.

FISCUS etiam PRO DEBITO, ORTO EX CONTRACTU, non tantum proprio, sed & alterius, in cuius locum successit, (quoad tempus futurum sc. non praeteritum *l. 6. ff. de jur. fisc.*) pignore obligata tenet bona eorum, cum quibus est contractum; & in isto pignore privatorum jure utitur, *l. 2. C. in quib. caus. l. 46. §. 3. de jur. fisc. l. 8. ff. qui pot. in pign. l. 2. C. de privil. fisc.* Fr. d. Amayâ. *observ. jur. libr. 3. cap. 1. num. 24.* Johann. Dominic. Gaitus *de Credito cap. 4. quasit. 11. n. 1888.* Aegid. Boss. *Tit. d. public. honor. num. 82.* nisi quaestio sit de ijs, quae post contractum acquisivit debitor, in quibus praevent causam pignoris *l. 28. de jur. fisc. Gaitus d. quasit. 11. n. 1895.* Anthon. Peregrin. *de jur. fisci lib. 6. tit. 6.* PRO POENIS vero fisco inferendis à tempore quidem condemnationis & latae sententiae bona debitoris itidem pignori tacite subjacent *argum. l. 46. §. 3. de jur. fisc. Clar. §. sent. ult. q. 78. n. f.* ante vero sententiam, poenae omnibus creditoribus postponuntur; quod hi de damno vitando certent, fiscus autem ex poenis capret lucrum, cujus causa durior *l. 33. de R. I. Negusanz. de pignor. p. 2. m. 4. n. 115. Gail. 2. obs. 86. n. 7. & 8.* hinc etiam dicitur quod nulla sit bonorum publicatio, nisi deductum sit aes alienum. *l. 11. l. 17. l. 37. l. 48. §. Cornelio. 1. de jur. fisc. l. un. C. poen. fiscal. credit. praeferr.*

CV.

Tacitam porrò hypothecam absque privilegio habet LOCATOR IN REBUS IN PRÆDIUM URBANUM A CONDUCTORE ILLATIS, pro omni eo, quod in actionem locati venit; veluti, pro mercede, & damno, in re conducta dato *l. 4. pr. d. pact. l. 2. 3. 4. ff. in quib. caus.* Schneidevv. *ad §. item Servian. 7. l. d. act. n. 15.* necesse tamen est, ut res sint reapse illatae; quoniam ex illationis fa-



nis factō partim constituitur hoc pignus *l. 11. §. 2. qui pot. in pign.* unde res inferendæ pignoris nexu adhuc sunt liberæ. Nec sufficit, eas revera illatas esse; sed eō animo oportet esse investas, ut ibi perpetuò, quamdiu scil. locatio durat, permaneant. *l. 7. §. 1. ff. in quib. caus.* Perperam E. hic de tacito suppellectilis pignore nonnulli dubitant, Statil. Pacific. *d. Salvian. interd. in spect. 3. cap. 5. n. 15.* Mercur. Merlin. *d. pignor. lib. 2. q. 57. n. 1. & seq.* quæ nunquam eō animo non infertur. Connan. *lib. 4. comment. cap. 16. n. 8.* Quid autem de mercibus, quæ distrahendi animo inferri solent, dicemus? Resp. in genere eas teneri; quia semper aliæ in locum distractarum substituuntur, ut tempore pensionis solvendæ exstantes à domino pignoris loco capi possint. *l. 13. pr. l. 34. ff. de pignor.* Connan. *d. loc.* Peretz. *in Cod. in quib. caus. pign. n. 5.* Vid. Merlin. *d. pignor. lib. 2. quæst. 46.*

#### CVI.

Absque curatoris consensu in prædium urbanum à minore illata domino ita non obligantur; ratio est hujus hypothecæ natura. Non enim purè legalis ea est, sed etiam, & imò magis, ex conventionē tacita, adeoque mixta. *l. 4. ff. de pact. l. 4. pr. l. 6. ff. in quib. caus.* Minor autem, ut absque curatore res suas non potest alienare, ita nec de earum hypotheca pacisci, Bachov. *de pignor. & hypoth. lib. 1. c. 11. n. 2.*

#### CVII.

Studiosorum quoque libri, in musæum conductum illati, tacito pignori non subjacent pro mercede; ne etiam vilissimis, quorum domibus illi sæpè utuntur, hominibus (quibus rusticitas maximum studiosos vexandi solet indidisse pruritum) occasio detur, libros eorum sub prætextu residuæ pensionis retinendi, & cum maximo studio-  
rum



rum detrimento vendendi. Bachov. d. cap. XI. n. 3. Zas. ad S.  
item Serviana 7. n. 23. I. d. act. Monach. d. exsecut. in vestib. c. 5.  
n. 23. Dissent. Gaitus de credito cap. 4. quasir. s. n. 95.

CIIIX.

Decantata hic habetur quaestio, an scil. in vecta in præ-  
dium rusticum, æquè domino fundi obligentur tacitè, atq;  
illata in urbanum, domino ædium? Affirmant quidem il-  
lud Dd. communiter, non tamen simpliciter, sed si concur-  
rat scientia domini, per l. certis. Cod. d. locat. Si autem quæ-  
ras ex iis, quidnam denotetur per scientiam, aut quid ea ad  
tacitam hypothecam constituendam conferat, alium est  
silentium. Negamus ergò nos rectiùs cum Bachovio *lib.*  
*1. de pign. cap. 11. n. 4. & in animadvers. ad Treutl. vol. 2. disp. 1.*  
*2b. 4. lib. b. c.* etiam rem minimam, in prædium rusticum illa-  
tam, absque expressa conventionione pignori teneri. *Primò*  
enim certum est, vocabulum *scientia*, idem in *d. l. s.* denotare,  
quod paulò antecedens vocabulum *voluntas*; per volunta-  
tem verò nil aliud intelligitur, quam expressa conventio,  
quemadmodum etiam *voluntas* accipitur in *l. Pompon. s. s.*  
*1. in quib. caus. & in l. ult. C. de novat.* *Secundò* negantibus cal-  
culum adiicimus propterea, quod in *l. 4. ff. in quib. caus. ur-*  
*bana & rustica prædia, quoad tacitum pignus illatorum, sim-*  
*pliciter sibi opponantur, & hoc de illis tantùm affirmetur,*  
*de hisce verò negetur, & in fructibus tantùm sine conven-*  
*tione hypotheca constituatur. l. 7. ff. eod.* Vid. Balduin. *d. pign.*  
*cap. 6. Connan. comment. d. lib. 4. c. 16. n. 6.*

CIX.

Obiici nostræ sententiæ solet, *l. 3. ff. in quib. caus.* quòd  
ibi in vecta in horreum conductum tacitè dicantur oppi-  
gnorari, horreum autem, urbanum prædium non sit, sed  
rusticum: verùm sequentem *l. 4. s. 1.* inspicienti responsio  
erit parata, quod scil. quædam prædia, naturâ quidem ru-  
stica,

F

stica,



stica, quoad tacitam hypothecam, habeantur pro urbanis, quia ex se fructus non producant. Obiici nobis etiam possent. *l. 14. §. 1. ff. de religios. l. potior. §. 2. qui pot. in pignor. ad.* quas in conflictu respondere conabimur.

CX.

Relocatō prædiō, an illata à secundo conductore tacite etiam oppignorata censeantur locatori primo, seu prædij domino, quæritur? quod de urbanis prædiis affirmamus, quia in his causa pignoris est illatio, *l. 11. §. solusam vers. unde ff. de pign. act.* Vid. Merlin. *lib. 2. quest. 67. n. 21. & seqq.* Menoch. *d. adipisc. possess. remed. 3. n. 96.* de rusticis negamus, utpote, in quibus ne ipsi relocanti quidem, citra expressam conventionem, illata tenentur. *l. 24. §. 1. locat. cond.*

CXI.

Quoad hypothecam, illatorum in prædium rusticum, singulare quid reperias in eo, qui pascua nominatim ad animalium pastum locavit, cui nonnulli Dd. in pecore, pascendi gratia inducto, hypothecam, cum prælatione, tribuunt. *arg. l. interdum. s. ff. qui pot. in pign. Surd. d. aliment. Tit. 8. privil. 62. n. 19. Carocius d. locat. part. 5. Tit. d. difformit. q. 5. n. 4. Francisc. Salgado de Somoza, in labyr. credit. part. 1. c. 24. n. 101.*

CXII.

Legalis in super hypotheca, absque prælatione, competit illi, QVI SERVUM AB HOSTIBVS REDEMIT, in ipso redempto, usque donec pretium refundatur. *l. 2. C. de possim. revers.* Absque tamen fundamento nonnulli, filias idem jus in feudis habere, pro elocatione, & educatione, contendunt: quoties scil. ex allodialibus commodam dotem accipere nequeunt. Hartm. Pistor. *lib. 2. q. 37. n. 2. & 4.*

CXIII.

Ordinem nunc, inter hypothecarios simplices, in concursu observandum inquiremus: de quo omnis quidem cessaret



cessaret quæstio, si semper una eademq; res, uni tantum obligaretur. Quia verò contrarium experientia quotidie docet; prætereundum silentio nobis non est, quo jure altercationes de pignoribus sint componendæ.

CXIV.

Videndum igitur est, num debitor, pignus constituens, sit ejus dominus, nec ne? Si enim plures eandem rem ab uno non domino diversis temporibus acceperint pignori, præfertur is qui prior hypothecam accepit: Sin à diversis non dominis una res pluribus sit obligata, pro possessore pronuntiandum est. *l. 14. ff. Qui pot. in pign. l. 9. §. 4. ff. de publ. in rem act.* Dubitandum verò non est, si duo circa idem pignus concurrant, quorum alter à vero domino id habeat constitutum, alter à non domino quidem, sed multò ante; illum huic, quamvis priori, meritò præferri, quòd nemo utilius de re aliqua disponat, quàm ipse dominus. *l. 31. §. f. ff. de act. emt. Colleg. Argent. lib. 20. tit. 4. rb. 4. n. 7.* idque procedit, etiamsi verus hypothecæ dominus, obligationem à non domino factam, postea habeat ratam. Nec enim dominus rati habitationem suam retrahere potest, in præjudicium ejus, cui ipse jam rem obligaverat. Don. Francisc. Salgado de So-moza, *in labyrinth. creditor. part. 2. cap. 22. n. 52.*

CXV.

Verus dominus, quoties eandem rem pluribus dedit pignori, vel simul, id est eodem momento, hoc fecit, vel diversis temporibus, & separatim. Illo casu, si unicuique in solidum oppignoratio facta, quisque pignus in solidum persequitur, & qui prius possessionem nanciscitur, ejus causa est potior. *l. 10. ff. de pignor. l. 1. §. 1. l. 2. de Salv. interd.* si verò in certas partes res obligata est singulis, ultra partem suam nemo potest pignus vindicare: nullâ autem partium mentione factâ, quisque pro ratâ debiti rem tenet obligatam. *l. 10. §. 8.*



*ff. de pign.* Hoc casu, quando separatim hypotheca pluribus est constituta, præferentia æstimatur secundum jurinaturæ convenientem regulam, QVI PRIOR TEMPORE, scil. hypothecam accepit, POTIOR JURE. *l. 2. & 4. C. qui pot. in pign. c. qui prior. de R. I. in 6.*

CXVI.

Cum quis ergò, cui prius aliqua res pignori erat data, in ejus est possessione, & ab alio, cui postea temporis eadem res pignori exposita est, actione hypothecariâ convenitur, tutus est exceptione prioritatis: contra, si hic, qui postremò hypothecam acceperat, in possessione sit; is cui prius erat obligata, rectè hypothecariâ uritur, & possidentis exceptionem de hypotheca, per replicationem, quod pridem, ante eum, jus in re acceperit, potest elidere. *l. 11. 12. pr. ff. qui pot. in pign. l. 2. & 7. C. cod.*

CXVII.

Nec, quoad dictam regulam, diversitatis quicquam est inter hypothecam, & pignus propr. sic dictum, *l. 2. ff. qui pot. vel inter hypothecam tacitam & expressam. l. 8. ff. cod. l. 2. C. de privil. fisc. l. ubi adhuc 29. ibiq. gl. C. d. jur. Dot. l. 1. C. comm. d. legat. neque etiam, sitne dies, aut conditio adjecta, nec ne; modò hæc etiam invito debitore impleri possit. *l. 9. §. 1. l. 11. §. 1. qui pot. in pign.* Don. Francisc. Salgad. de Somoza. *in labyr. cred. p. 2. c. 13. n. 19. & 20.* Imò, observatur quoque reg. QVI PRIOR &c. in pignore prætorio, quando ex causis diversis immissio facta, & possessio prius occupata est. *l. 2. C. qui pot. in pign. ibique Salycetus. n. 1. l. 12. de reb. auth. jud. poss. Meyrer. de pign. c. 1. n. 46. Gail. lib. 2. Obs. 25. n. 3.**

CXVIII.

Parùm etiam refert, sitne alteri hypotheca generalis, omnium scil. bonorum, alteri verò tantùm specialis, seu certorum bonorum constituta; ille enim, modò sit anterior, huic



huic in rebus specialiter suppositis præfertur, licet ex aliis debitoris rebus suum possit consequi, *l. 2. l. fin. pr. ff. qui pot.* Gabr. Mudæus *de pign. & hyp. cap. quib. mod. pign. vel hyp. solv. n. 84.* Æquitatis tamen gratia hoc aliter obtinet, quando prior generalem & specialem simul habet, & ex speciali ipsi satisfieri possit; tunc enim alteri, qui specialem posteriorem habet, per generalem suam non potest nocere, *l. 2. C. de pign. nisi illius hypothecæ hæc sit adjecta clausula, quod specialitas generalitati derogare non debeat.* Myns. *cent. 6. Obs. 94. n. 6.* Mercur. Merlin. *d. pign. libr. 4. quest. 21. per 101.*

### CXIX.

Publica sanè hypotheca privatæ, licet antiquiori, semper præfertur. *l. 11. C. Qui pot. in pign.* Est autem publica illa quæ auctoritate magistratus mit consens der Obrigkeit / est constituta. *arg. auth. si quis C. d. 1. l. fin. C. de re jud. l. 30. 31. C. de donat. l. 10. de probat. 2.* super qua à notario publico instrumentum est confectum. *arg. d. l. 11. C. qui potior. l. 17. C. de fid. instr. Nov. 44. pr. Nov. 47. prefat. & c. 1. 3* pro publica habetur, quæ privato debitoris scripto, trium integræ opinionis virorum subscriptione munito, probari potest. *d. l. 11. Sichard. ad eand. leg. n. 19. & 20. Gail. 2. observ. 25. n. 9. & 10. Coler. d. process. execut. p. 3. cap. 1. n. 125.* Sequitur

## CLASSIS QUARTA.

### CXX.

Quarta classis personalibus privilegiatis pro fixa sede esto. Inter hos, DEPONENS familiam ducit, ratione rei depositæ, quæ inter cœtera depositarij bona non amplius invenitur, sed ab eo est consumpta *l. 7. §. 2. ff. depos.* Si enim depositum adhuc exstet, rei vindicatio locum habet, uti *suprà thes. 26.* dictum est.

F 3

CXXI.



## CXXI.

Committitur autem cum *d. l. 7. §. 2. de pos. lex 24. §. 2. ff. de reb. auct. jud.* Quæ famosa pugna, quam acriter torserit Doctorum animos, ex varijs ipsorum conciliationibus est videre. Evolvere, cui volupe est, poterit Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. ult. l. G.* non parùm inibi in examinandis Dd. sententijs sollicitum: Nos haud ineptè Glossam. *in d. l. 24.* distinguere arbitramur, inter privilegia realia & personalia, *ut d. l. 7. §. 2. de personalibus, d. autem l. 24. de realibus privilegijis sit intelligenda.* Vid. & Rodriguez. *d. concurs. & privil. credit. p. 1. art. 6. n. 47. & seqq.*

## CXXII.

Post deponentem, in personaliter privilegiatis, numerantur jure Sax. PIÆ CAUSÆ, sæpius dictâ *Const. 28. §. Ferner sollen* / quas tamen Jus Cæsareum in primam classem extollere maluit, Excell. Dn. Hahn. *in Observat. ad VVes. de privil. cred. n. 4.* Huc autem pertinent legata, studiorum gratia, collegijs pijs, & pauperibus relicta, item alimenta; nam & horum causa pia & favorabilis dicitur. *l. 14. ff. de alim. & cib. leg. Joh. Petr. Surd. d. alim. Tit. 8. privil. 1. n. 1.* sive ea ex testamento, sive ex contractu, modò pauperi, non diviti affectionis & amicitiae causa debeantur Petr. Surd. *d. tit. 8. privil. 1. n. 3.* licet id, quod de privilegio alimentis competente dictum est, ad ea, quæ vel testamento alicui, vel, si per contractum, ex certo tamen fundo sunt relicta, restringat Salgado. *in labyr. credit. part. 1. c. 24. n. 98.* alios verò alimentarios, creditores merè personales, & absque ullo prælationis privilegio, inter cæteros chirographarios esse dicit. *d. l. n. 88. 115. 116.* Dan. Moller. *ad d. Const. 28. n. 77.* Dissentit Carpzov. *ad d. Const. 28. defn. 152.* Berlich. *conclus. 70. n. 7.* Cöler. *de aliment. l. 2. cap. 7. n. 3.*

## CXXIII.



CXXIII.

Tertiò, quævis COLLEGIA ACTIONE PIA CONSTITUTA, ut nosocomia, xenodochia, cœnobia, Academia, scholæ triviales &c. RESPECTU SUI CREDITI omnibus chirographariis simplicibus præferuntur; quia etiam REPUBLICA (cui hæc æquiparari solent) CREDITRIX personalibus simplicibus præfertur. *l. pen. §. 1. ff. de reb. auth. jud. poss.* Per rempublicam autem intelligimus quasvis civitates, etiam municipia, Wesenb. *paratitl. de privil. credit. n. 5.* quia & hæc respectu privatorum non ineptè respublicas dixeris. *l. 8. ff. qui pot. in pign. l. 4. C. cod. Balth. Conrad. Zahn. in ichnograph. municip. c. 44 n. 3.* Quòd autem de ipsis locis pijs dictum est, haud extendendum erit ad eos, qui fortè in ijs officia gerunt, ex. gr. presbyteros, Professores, cœnobiorum præpositos; qui in proprijs debitis, quando de hypotheca sibi non prospexere, potiores non sunt quam aliquis chirographarius: nam privilegia universitati concessa non statim cuique qui est de universitate, concessa intelliguntur, *arg. c. relatum 12. vers. nomine autem Ecclesie, ibique gl. & Canonistæ. X. de testam. arg. l. sicut. 7. §. 1. ff. quod cujusque univ. nom. Casp. Klock. consil. 153. n. 92. tom. 3.*

CXXIV.

Quartò, inter personaliter privilegiatos referuntur ADVOCATI, ratione salarij; quòd causarum patroni, glorioso vocis suæ munimine clientum spem, vitam, & posteros defendant. *l. 14. C. de adv. divers. judicior.* Aquali autem, cum advocatis, utuntur jure PROCURATORES, NVNCII, & PRÆCEPTORES, respectu scil. salarij. Vid. Richter. *disp. 11. cap. 5. n. 7.* Mævius *ad Jus Lubec. libr. 3. Tit. 1. art. 11. n. 69. & seqq.*

CXXV.



CXXV.

Quintum hujus classis locum obtinent illi, qui ratione nachständiger Pächte/item Vorgeschoffency Saat-Brodts vud Fressforns experiuntur: quibus. Beut. p. 1. c. 54. justiciæ hypothecæ minus rectè concessit.

CXXVI.

Sextò, QVI AD NAVEM, ALIAMVE REM (præter domum, eaque ædificia quorum ruina urbis aspectum deformat. l. 41. §. 8. de legat. 1.) REFICIENDAM, sumtus subministravit, non reservatâ sibi expressâ hypothecâ, præ hujus classis creditoribus de nullâ prorsus prærogativa gloriari potest. Quòd enim nonnulli, ejusmodi creditori, tacitam hypothecam competere existimant, id à falso propè abesse non dubitamus, per l. 17. C. de pign. & hyp. l. 7. C. qui pot. in pign. ubi vid. Salicetus & Cynus. Opponunt isti quidem sententiæ nostræ l. 5. & 6. ff. qui pot. Nov. 97. cap. 3. ad quos tamen textus rectè respondet Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 7. lit. E. & in tr. de pign. & hyp. lib. 1. cap. 12. n. 2. nihil scilicet in ijs constitutum esse de tacita hypotheca, sed, ex hypothesi hypothecæ acquisitæ, agi de jure prioritatis.

CXXVII.

Septimò, personaliter privilegiatis adscribimus SPONSORES & MANDATORES, qui pro suo principali solvere sunt coacti. Iniquum enim foret, tales, præ chirographarijs simplicibus, nõ frui aliqua prærogativâ: sic enim multi ab hoc officij genere deterrentur. Beuther. lib. 1. cap. 37.

CXXIIX.

Octavò pro personali simplici non est habendus VENDITOR, qui rem tradidit, fidemque de pretio habuit, de nullo autem pignore sibi prospexit: secus verò id obtinet, quan-



quando de pretio fidem non habuit. Richter *de jur. & priv. cred. d. 11. c. 5.* Carpzov. *p. 1. const. 28. def. 154.*

CXXIX.

Nonò tandem in hâc ponuntur classe, QVI GRATIS, NULO ACCEPTO FOENORE, PECUNIAM MUTUO DEDERVNT, nec aliàs hypothecâ, aut potiori jure gaudent. Beuther. *d. 11. p. 2. 7. 29.* Rationem hujus privilegij censet Carpzov. *ad d. Const. 28. def. 153.* esse odium usurarum, & ut homines faciliùs, charitatis Christianæ memores, proximo egenti gratis mutuarent. Et hoc quidem jure Saxon. Electorali ita expressè statutum, Carpzov. *d. l.* non tamen prorsus à jure communi alienum est. *l. 7. §. 2. ff. de pos. l. si venri. 24. §. 2. ff. d. reb. aut. jud. possid.* Stracch. *d. de coctor. p. ult. num. 4.*

CXXX.

Ex hisce, quos recensuimus, personalibus privilegiatis, quando jam duo, aut plures, ejusdem tituli concurrunt, v. gr. duo deponentes, duo qui gratis crediderunt &c. unusquisque eorum, nulla temporis ratione attentâ, pro ratâ admittitur, nec privilegiatus contra pariter privilegiatum suo uti potest privilegio, *l. verum 11. §. item quaritur 6. ff. de minorib. l. 32. ff. de reb. aut. jud. poss.*

CLASSIS QUINTA.

CXXXI.

Rarò contingit in concursu, ut post dimissionem privilegiatorum, & hypothecariorum, aliquid supersit de bonis obæratu, cui semper solet res esse angusta domi: quoties tamen hoc evenit, tandem etiam in hâc ultimâ classe vocantur illi, qui tantùm jus ad rem, seu personale, habentes, ab omni prorsus hypotheca, & privilegio, nudi sunt.

G

CXXXII.



## CXXXII.

Hi *κατ' ἐξοχήν* dici solent CHIROGRAPHARIJ; vulgò gemeine Glaubigere/so kein vorzugs recht/noch dingliche Gerechtigkeit erlanget/quamvis rectius PERSONALES SIMPLICES eos appelles. Etenim, sub ijs non modo continentur, qui per chirographum, seu scripturam, verum etiam qui alias legitimè, ex. gr. per testes, rationum libros, confessionem debitoris &c. jus suum probare possunt, die andere nachrichtungen/ihrer Schulden halber/vorzulegen haben. Carpzov. d. const. 28. def. 159. per tot.

## CXXXIII.

OPIFICES itaque etiam huc pertinent, ut sutores, pistorum, fabri, textores, &c. quibus pro rebus confectis nondum est solutum premium, licet ferè nunquam hisce chirographum dari soleat. Item MERCENARIJ, quorum opera extra domum usus est debitor, allerhand Tagelöhner/nec non is, qui executionem quidem impetravit, realiter tamen in bona nondum est immisus.

## CXXXIV.

Sic quibus ad certam diem hypotheca est constituta, quamprimum ille dies illuxerit, de hypotheca decedere coguntur; nec quicquam ultra debitoris personam obligatam retinent; adeoque rectè tunc pro personalibus simplicibus habentur. Quod enim ad tempus est concessum, post tempus censetur prohibitum, l. 27. §. 1. l. 52. §. fin. ff. d. pact. l. 111. de legat. 2. Gratian. disc. forens. cap. 520. n. 4. Merc. Merl. de pignor. libr. 5. q. 44. n. 31. Ita, cui res aliqua pro parte tantum est oppignorata, in altera ejus rei parte non nisi pro chirographario habetur. l. 10. ff. de pign.

## CXXXV.

Personalibus hisce, QVOS simplices dicimus, res-  
dua



dua bona distribuuntur; & quantum deest, quo minus ea sine  
ad exsolvendum omne debitum sufficientia, omnes illi veni-  
unt in tributum, *l. procuratoris s. s. plane 17. ff. d. tribut. act.*  
& tantum quisque chirographariorum pro rata perdere  
cogitur, ita, ut accipiat vel quadrantem, vel semissem, vel  
dodrantem sui crediti, prout suppeditare bona debitoris  
possunt. Wesenb. *parat. ff. de privil. credit. n. 7.* calculo per  
regulam societatis ita subducto: Uti se habent summæ  
omnium Creditorum personalium in unam collectæ, ad  
eam, quæ hypothecarijs dimissis superest, substantiam,  
ita sese habent quoque summæ singulorum, ad id, quod  
quilibet ex bonis debitoris consequi debet. Nec causa-  
rum diversitas, aut temporis ratio, hic venit attentenda, sed  
reg. QVI PRIOR TEMPORE &c. hic non invenit lo-  
cum; quia potuit debitor per cumulum creditorum face-  
re causam deteriore priorum, neque privilegium neque  
hypothecam habentium. Amator Rodriquez. *part. 2. art.*  
*3. n. 2. l. pro debito. §. in f. C. d. bon. auth. jud. possid.* ibique Bal-  
dus: nisi forte statuto alicubi ita sit introductum, quem-  
admodum illud fieri posse, ex actis, ad facultatem Juridi-  
cam Academiæ Julix Alfeldiæ, Episcopatus Hildesienfis  
oppido, olim transmissis, probat Ampl. Hahn. *Obs. de pri-  
vil. cred. p. 557.*

CXXXVI.

Certissimi etiam juris est, chirographarios frustra ex  
bonis debitoris quicquam sperare, priusquam cæteris cre-  
ditoribus, non modo quoad sortem, verum etiam quoad  
VSVRAS sit satisfactum: siquidem ne posteriori quidem  
hypothecario quicquam prodest hypotheca, antequam  
priori fors, cum usuris, non sit reddita *l. 18. ff. qui pot.* Ini-  
quum hoc quidem proclamatur à nonnullis, propterea,  
G 2 quod



quod usuras petere, sit lucrum captare, & sic nemo ratione  
usurarū sortem petenti, qui de damno vitando solum agit,  
præferri debeat *l. 33. ff. de R. I.* quibus tamen responsum e-  
sto: non omnes usuras in genere lucrum odiosum apporta-  
re creditori, sed interdum indemnem ipsum præstare tan-  
tum, veluti sunt compensatoriæ illæ, quæ æstimant usum  
sortis, quo aliquandiu privatus fuit creditor. *Wes. parat ff.  
de Usur. n. 7.*

### CXXXVII.

Vsurarum vero loco jur. Sax. ne teruncius quidem  
solvitur, nisi nulli creditori ratione sortis non sit satisfā-  
ctum; & ubi sortes jam sunt solutæ, prioritatis sententia ad  
usuras quoque extenditur *Heig. p. 2. q. 6. n. 13.* Jure Lübec.  
unà cum sorte unius tantum anni usura adjudicatur, reli-  
quæ suspenduntur eò usque, donec omnes tantundem ac-  
ceperint, & si quid tunc de bonis superest, eodem ordine  
tunc illæ, quo debitum principale, adsignari solent. *Mæv.  
ad Jus Lub. art. 12. n. 79. & seqq.*

### CXXXIIX.

Quod si chirographarius aliquis, per sentiscens debi-  
torem non esse solvendo, vigilantiam suam perfecit, ut tem-  
pore concursus, antequam bona possiderentur, creditum à  
spontè offerente, vel ab invito debitore reciperet, restituere  
illud cæteris chirographariis non tenetur; sed quod ac-  
cepit retinet: quia vigilantibus jura subveniunt, & negligenti-  
bus scripta non sunt *l. 16. ff. Ex quib. caus. major vig. l. 24.  
in f. ff. Quæ in fraud. cred. Wesenb. in parat. d. privil. credit.  
n. 8. Mantz. in conflict. credit. super prior. seu pralat. p. 1. q. 5. n. 7.  
& 22. & q. 8. n. 41.*

### CXXXIX.

De personalibus simplicibus & hoc observandum; quod,  
licet:



licet aliàs, secundum Dd. *comm.*, maior creditorum pars,  
obæratò, solutionis dilationem possit concedere, imò etiam  
partem debiti remittere, invitâ minori parte *l. 7. §. f. l. 8.*  
*ff. de pact.* vid. Stamm. *de Servitute person. lib. 1. tit. 4. cap. 4.*  
*n. 10. & 31.* tum, quòd semper humanior sententia sit eligen-  
da *l. fin. ibique Gloss. C. Qui bon. ced. poss.* tum, quòd ab omni-  
bus videatur factum, quòd à majori parte factum est *arg. l.*  
*3. & 4. ff. Quod cuiusq. univ. nom.* Wilhelmus Anton. Freuden-  
berg. *de rescript. morator. conclus. 15. Trentacinq. lib. 3. variar.*  
*resolut. tit. de solut. resol. 3.* tamen hoc fallere in chirogra-  
phariis; qui, licet numero & quantitate crediti vincant hy-  
pothecarios, tamen his nocere non possunt, nec privilegia-  
ti & hypothecarii pacta personalium simplicium, sive de  
moratoria dilatione, sive de remissione debiti ea fuerint,  
tenentur sequi *l. 10. inf. ff. d. pact.* Matth. Coler. *de process. exe-*  
*cutor. p. 1. c. 4. n. 18.* CXL.

Chirographariorum conditio quam sit in concursu  
misera, ex superioribus patet: hinc ergo notetur, ipsorum  
juri non accedere plus roboris, si cedatur forte Ecclesiæ,  
fisco, aut alij privilegiato cuidam creditori; sed ejusdem  
qualitatis & valoris, quo fuit apud cedentem, etiam apud  
cessionarium manere. Ut enim cessio, à quocunque etiam  
& cuicunque fiat, nulli actioni quicquam detrahit, ita eti-  
am nihil addit. *vid. l. ult. C. de privil. fisc. l. 4. C. d. hered. vel*  
*act. vend.*

### CXLI.

Nonnulli locorum ob statuta, & receptum morem, tan-  
ta habetur civium præ extraneis in concursu ratio, ut, si ci-  
vis minus privilegiatus, vel chirographarius, cum magis  
privilegiato extraneo concurrat, ei præferatur, propterea,  
quòd civis sit. Quæ statuta, licet primo intuitu non modo



non injusta, verum etiam reip. salutaria esse videantur, tamen si spectes *Titul. Quod quisque juris* & in eo fundatum re-  
torfionis jus, nulli fortassis erunt usui.

CXLII.

Obiter addimus: si debitor foro cedens, duas exercue-  
rit negotiationes, frumentariam fortè, & linteariam; credi-  
tores ejus non sunt confundendi, sed unusquisque in ea re,  
in quam credidit, est audiendus, quia merci magis quàm per-  
sonæ credidisse censetur. *l. 5. §. 15. de tribut. act. vid. Salg. de So-  
moza in labyr. cred. p. 2, c. 12. n. 68.* Sin unam quidem exercuerit  
negotiationem, diversis autem in locis, v. gr. Hamburgi, &  
Lipsiæ habuerit tabernas; Hamburgenses in suæ urbis, Li-  
psiensis in Lipsiensi taberna sunt potiores *d. l. 5. §. 16.* Quod  
si uno in loco solùm habeat tabernam, nemini oppignora-  
tam, ad merces in ea exstantes omnes admittuntur, licet ex  
unius tantum pecuniâ emtæ sint. *d. §. 16.*

CXLIII.

Et tantùm, hâc quidem vice, de *περωπεραζίας* materia;  
quæ, utinam in foro non esset quotidiana! maximo reip.  
malo; cui certè (meo quidem iudicio) rectiùs obviam iri  
haud poterit, quàm si subditis bona, maximè immobilia,  
aliaque pretiosiora, pignoris nexui supponere non con-  
cedatur, nisi adhibitâ magistratus autoritate; statutisque  
æ legibus caveatur, ut omnis hypotheca, libro publico,  
seu actis non inserta, habeatur irrita. Neque enim est dis-  
simulandum, Magistratuum negligentiam multum hic pec-  
cari. Quòd si verò ubique locorum frena temerarijs, pe-  
cunias mutuantium votis, dicto modo injicerentur, rei, &  
publicæ, & familiari præclare esset consultum. Cessarent  
enim, vel certè imminuerentur, creberrimæ ac sumtuosæ  
PRÆLATIONUM ALTERCATIONES, quæ sæ-  
pè im-



pè immortales efficiuntur. Tributa aliæque pensatio-  
nes publicæ ( in quibus esse reip. nervos nemini dubium  
est, *l. 1. §. 20. ff. de quest.* ) in immensum ob moram non  
solventium haud rarò auctæ, ærario non perirent. Ho-  
mines honestiores non adeò proflirent ad mutuò sumen-  
dam pecuniam, nec alij exiguo sæpè lucello inhiantes, de-  
bitorum fidem promiscuè sequerentur. Si verò necessita-  
te, adversâve fortunâ urgente, ditiorum loculi essent in sub-  
sidium vocandi, utriusque contrahentium summa utilitas  
semetipsam statim proderet. Hâc enim ratione, quâ non  
facilè metuendum mutuuum perditum fore, tantò citiùs  
pecunia egenti crederetur, & creditori satis in tuto esset  
creditum. Sic eadem res pluribus ultra veram æstimati-  
onem non ampliùs obligari, nec *ignorantia creditoris* ( reci-  
to verba *l. ult. C. Stellionat.* ) cui res, pridem apud alios obligata,  
*pignoris sive hypotheca jure obligantur*, quæque non sine periculo  
*capi consuevit*, ulterius circumveniri posset, & quod magis  
est, freno nequitiaë debitorum injecto, in privatis instru-  
mentis dies obligationis in fraudem antiquiorum credito-  
rum non mutaretur. Vid. Gail. *lib. 2. Obs. 25. n. 10.* qui testa-  
tur, Viennæ ejusmodi salutare statutum haberi. Excel-  
lentiss. Dn. Hahn. *in Observat. ad VVesenb. Qui pot. in pign.*  
*n. 2.* ubi etiam Hildesie statutum, *Der offenen*  
*Rathspfandebrieffe halber* / inter cæ-  
tera collaudat.

SOLI DEO GLORIA,


















(X2618227)


10 11











IVRIDICA

1657, 6 M

6/4

7

SENTIA

MIN CON-

NDEMQUE

GIIS.

M,

e Gratiã ,

E

ERNERO, JC<sup>TO</sup>,

DALIS P. P., DI-

BYTANI ADSES-

ACULTATIS

CANO,

ac Patrono suo

ando,

*tuebitur*

on *Anderten!*

ondens

Augusti

AVDITORIO.

DII

ERI, Acad. Typogr.

LVII.